Clodius, Christian August Heinrich
De educatione populari disciplinaque publica communi morum ac legum vinculo

DE
EDVCATIONE POPVLARI DISCIPLINAQVE PVBLICA
COMMVNI MORVM AC LEGVM VINCVLO

COMMENTATIO

QVA

AD AVDIENDAM ORATIONEM

MEMORIAE ERNESTIAE SACRAM

INVITATVRVS ERAT

CHRISTIANVS AVGVSTVS HENRICVS CLODIVS

ORD. PHILOS. NVPER DECANVS

NVNC POST MORTEM AVCTORIS

AD EANDEM SOLEMNITATEM

DIE X. MENS. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXVI. HORA IX.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONCESSV

IN AVDITORIO IVRIDICO

CELEBRANDAM

HVMANISSIME INVITAT

MAVRITIVS GVILIEMVS DROBISCH

ORD. PHILOS. H. T. DECANVS

DE VIRTVTIBVS QVAS CARDINALES APPELLANT

COMMENTATIO SEPTIMA

De functionibus animi in conscientia hominis religiosa a se inuicem disiungendis imprimis de libera voluntate et intellectu.

Νομος ὁ παντῶν βασιλευς.

Pindar. ap. Herodot. et Platon.

§. 1.

De Genio Seculi, in solis rerum ac vitae formis occupato.

Vnaquaeque hominum aetas, in annalibus generis humani eum locum, seu sorte nacta, seu ratione et labore consecuta illustriorem, quam vocare *Epocham* solent historiarum scriptores .... etsi in reliqua supellectile, ad definitionem hominis moralem, quae vna in omnes valet, pertinente, ceteris fortasse nec melior nec peior aetatibus, solà nimirum aureâ, si qua fuit vel erit, excipiendâ .... semper tamen aliis aeuis mortalium, sine gloriae strepitu vitam silentio transeuntium, eo certe praestare videbatur, quod in vna potissimum eademque re occuparetur, omniumque aequalium studia coniungeret; quae quidem res, quasi magnum et peculiare aeui opus atque negotium, perpetuâ posterorum memoriâ celebrandum, duobus verbis, e scriniis philosophorum depromtis, *κυρια δοξα seculi* haud inepte poterat appellari. Etenim ab hac palmaria ac maxime rata sententia, vel opinione quasi publica (*öffentlichen Meinung*), quam .... liceat, verbis iam vti recentioris inuentionis, a nouissimis rei ipsius, his verbis notatae, reprehensoribus frequentius vsurpato quam intellecto .... *Seculi Genius* (*der Zeitgeist*) quum de vniuersa omnis vitae humanae ratione, tum de rebus, in ipsissimo illorum potissimum temporum decursu a se studiose curandis, ac diuinitus quasi demandatâ curâ peragendis, fouebat, alebat, et non sine molesta quadam pertinacia, nec sine ira et studio persequebatur, tam virtutes, quam vitiosae actiones et consuetudines totius aeui trahebant originem, atque saluâ ceterâ familiari quasi similitudine virtutum vitiorumue, scilicet ab ipsa iam stirpe generis humani profecta, nescio quam propriam tamen formam accipiebant ac faciem.

Quam in rem satis documenti est ipsum hoc aeuum, per quod, nunc temporis, vita hominum, haud lenibus sane et mollibus, immo violentissimis aestus aeterni vorticibus protruditur, hoc, inquam, seculum, quod nos quidem, nulla in eo profecto otia degentes, non sine secreta quadam superbia, modo laetiore, modo etiam tristiore, mox demissis, mox arrectis auriculis, *nostrum* solemus appellare, quippe quod, vt inter omnes eius praecones, admiratores ac vituperatores, multis flebilibus et sublimibus modis carmen seculare perpetuum quasi decantantes, iam dudum constat, tum celerrima successione rerum, a cunctis fere moratioribus populis, per vniuersi orbis ambitum, mira necessitate urgente coactis, quodammodo coniunctim gestarum, tum repentina, crebro continuoque terrae concussui haud absimili conuersione grauissimorum institutorum, immo fun-

damentorum totius vitae, quam vocant, socialis, tum innumerabili denique varietate ac vicissitudine nouarum, omnis cognitionis, artis, eruditionis ac disciplinae humanae formarum, duce ingeniosâ ratione magis, quam caecâ naturâ repertarum, adeo inclaruit, vt nostrorum aequalium minime malorum nemo, a famosis Mysticorum castris etiam longissime dissidens, facile dubitauerit .... ad exemplum et modum priscorum Hetruriae vatum, qui iam semel olim, Sullae scilicet temporibus, teste Plutarcho, vniuersam quandam reipublicae humanae conuersionem praedicarunt .... in hoc ipso dierum nostrorum decursu, posteris, haud incredulis *magnum mundi annum* solemni vaticinatione annunciare, vel mox instantem, vel actutum quasi praesentem, solosque profanorum adhuc oculos latentem, qui videlicet hoc temporis articulo a nobismet ipsis aut festiuâ laetitiâ inchoandus, auspicandus, aut non sine timore quodam buccinae coelestis, vitam et mores vniversi generis humani in diuinae historiae iudicium vocantis, adimplendus, finiendus ac terminandus sit.

In hac igitur, quae nunc annis currentibus absoluitur hominum aetate, manifesto, vt modo iam dictum est, ad *magnum* quendam *mundi annum* propius pertinente, ... cuius tamen an pompam funebrem nos propediem esse ducturos, an natales et incunabula demum celebraturos, siquidem opem numerorum Babylonicorum, Hetruscorum et Bengelianorum aspernamur, dubii et incerti fluctuamus .... ea generis humani mira, singularis et peculiaris est indoles atque conditio, vt maxima pars viuentium, in solas *Formas* rerum humanarum et diuinarum, inprimis illarum maiorum societatum, in quas homines, tam natura et ratione ducibus, quam fatis trahentibus congregari solent, vnice intenta, nempe in formis illis vitae exterioris fragilibus cognoscendis, explicandis, definiendis, ordinandis, siue immutandis siue conseruandis, atque in aeternum quasi stabiliendis, misere occupata, propter hunc superstitiosum, laboriosum, seditiosum et rixosum cultum vmbrarum vitae ac corticum, in mundi superficie volitantium, ipsum vitae humanae cor, succum, sanguinem, medullas, altioresque spiritus obliuioni et neglectui tradere nulla erubescat, scilicet de omni interioris cuiusdam, immo aeternae veritatis vi, vsu ac fructu penitus quasi desperans. Quae quidem omnia, hoc certe loco iam a nobis non eo consilio commemorata sunt, vt more istorum, cum barba ac pera philosophorum, morosorum magis quam moralium, *genio seculi nostri* miram quandam ac singularem cogitandi agendique rationem vitio ac crimini vertamus, ad quam persequendam libera voluntate minus, quam fatis impellitur, videlicet eâ tantum de caussa ac propterea in grauissimas illas fortasse reprehensiones incurrens, quod nimium officioso hactenus studio fatorum iussa et imperia exsequutus, inter perpetuas turbas factionum, in hac faece humana vix unquam componendarum, omnem conscientiae humanae tranquillitatem ac pacem sorte potius amiserit, quam culpâ perdiderit. Etenim satis superque iam dudum operosus ille sesuli nostri genius, rerum nouarum sane nimium cupidus, vapulat sermonibus hominum, inprimis vero ab istis laudatoribus, inuestigatoribus scrutatoribusque assiduis temporis acti, qui limina potentiorum obsident atque adorant, qui omnes, si de consiliis in grauiter commota republica capiendis sermo est, nunquam de placida aliqua quiete, in ipso dilucido

quasi fluxu, flumine ac progressu vitae socialis restituenda cogitant, sed de paludibus illis ac stagnis obscurioribus rerum cogitationumque humanarum, longo saepe pacis fructu exortis, scilicet priuatis rationibus semper vtilissimis, conseruandis, oppositaque fluctibus mole, quam arctissime conuallaudis, mirum in modum sunt solliciti.

Nouimus illud genus immutabile et immortale mortalium, in omnibus formis, ad societatem humanam ordinandam, excolendam, erudiendam, docendam pertinentibus, sola *antiqua* semper et vbique probantium, ac minus id quidem, ob istam maiestatis et sanctitatis speciem, siue probatae vtilitatis umbram, cuilibet rei vetustae adhaerentem, quam propter prauissimarum consuetudinum commoditates et emolumenta. Illam volumus, singularem sibique constantem gentem hominum, omnibus historiarum notatam documentis ac testimoniis, inprimis ex iis inde temporibus, quibus Socrates Sophistarum subtilitati, stuporique popularium vulgarium succubuit, et ipse Saluator mundi, recte monente patre quodam Ecclesiae, in crucem, auctoritate ac nomine *Obseruantiae legitimae* sublatus fuit; stirpem, inquam, ac prolem vel maxime terrestrem, qua nunquam terrae carebunt, etiamsi vnum optare liceat, vt ea a literis sublimioribus, nec non a capessenda ciuili et religiosa republica manus potentiores tandem aliquando abstineat. His igitur et talibus terrae filiis, quippe qui tam pertinaci quadam vi inertiae sint praediti, vt pigritiam suam et auaritiam pro sola lege perpetua, necessarioque mundi ordine habeant, nunquam mutabili, omniumque deorum decretis aeternis constituto, ille Genius seculi nostri vix arridere poterat, quem igitur non desinerent onerare conuiciis, tanquam improbum, *βιον ἀναρχτον* suadentem, seditiosum, impium, summisque ima commutando, optima quaeque euertendo, turbas cientem perniciosissimas. Quanto rectius his laudatoribus temporis acti, obsoletarumque vitae formarum, quotidie magis euanescentium, in hac sensisse caussa videtur grauissimus hominum istorum olim hostis et adversarius, Napoleon, qui iam tum, quum Seculum nostrum, vix primis sublatis curriculi cancellis, cursum suum certe mirabilem auspicaretur, de Genio huius seculi, quippe quod sub auspiciis huius ducis maxima statim ceperat incrementa, censuerat, atque iure quasi suo, erat auguratus, alteram aetatem, in mundi annalibus hactenus celebratam, factis et euentibus, huic iam praesenti fore aequiparandam nullam! At quomodo illa *νεκυων ἀμενηνὰ καρηνα*, imbecilla ingenia, pusillique animi, reprehensores volo et calumniatores *temporum*, in quibus ipsi degunt atque versantur, Genium seculi, cum quo vitia, in isto solarum *formarum*, quod diximus, studio, posita, eo magis participant, quo vehementiori odio virtutes eius, persequuntur, in rapidissimo suo progressu sistere, cohibere, immo penitus retro quasi flectere possint, ipsi viderint. Sane is quidem per aliquod tempus lassior videbatur, nempe perpetuis factionum maxime secum dissidentium altercationibus, eodem semper modo ad nauseam vsque repetitis, minusque bellis, quam ipsis armis ciuilibus fessus ac fatigatus. Attamen, quidquid id est, quod tam incitato cursu inceperat, vela retro dare nunquam poterit. Ac profecto habeant sibi, qui hisce in diebus adhuc spem fouere posse sibi videntur, a decretis fatorum diuinorum tam longe dissidentem, vel maxime igitur insipientem. Nos interea id tenebimus, ea quae de singulari seculi nostri indole,

sine omni animo reprehendendi, absque quouis partium studio a nobis dicta et commemorata sunt, plane non ad vulgus hominum notandum pertinere, nimirum ad istam in quolibet aeuo sui consimilem multitudinem, tali publicâ opinione reuera carentem; quae iudicii ratione constet, sed ad ipsos, inter omnes gentes viuentes, illustriores ac cultiores homines, quippe qui se natos esse atque vocatos haud iniuria putent, ad opus, aeuo nostro, quasi pensum seu problema diuinitus ministratum siue propositum rite perficiendum, soluendum atque exigendum.

Vt igitur ab *eruditis* seculi nostri hominibus ordiamur, quippe qui semper et vbique suo iure quasi et merito, pro *sale* terrarum semet habere solent, iam propter ipsam officii rationem, quo teneri sese illi arbitrantur, omnem vitae vsum et fructum artificio *formarum* regularumue generaliter definiendarum adiuuandi, nemo literarum peritus negari poterit, illos viros stupendâ sane eruditione, admirandaque sagacitate praecellentissimos, nihilominus agmen ducere hominum Genio seculi comitantium atque nimis indulgentium, scilicet in omni eo, quod de *Formalismo seculi* disputauimus, in eo, inquam quod de Seculi nostri more atque indole, *formas* a rebus abstractas, virium et vitae vacuas, ipsis rebus penitus secernendi, easque ipsis rebus, omnique vitae sensui et argumento vbique praeferendi, quin etiam eas cum ipsa, si qua interior dici aut cogitari potest, aeternâ rerum substantia plane conflandi et confundendi, supra iam statutum et commemoratum est.

Ac primum quidem *Philosophorum* Scholae, illae nimirum omnis cognitionis, disciplinae, sapientiaeque hominum officinae, *veritati*, quam vocant, perpetuo religiosissimoque cultu operantes, vltimam et extremam quasi summam veritatis, scilicet a mente humana comprehendendae, nunc aut nunquam inuenerunt, omnibusque Diis annuentibus et cunctis coryphaeis nostris atque scholarchis plaudentibus, remoto omni dubio, a scepticis diutius mouendo, in medium protulerunt. Testis rei felix Germania nostra, quamuis horridos animi foetus et innumerabilium philosophiarum monstra adhuc parturiens, propter quos diuinos ingenii Teutonici partus, reliquae gentes e longinquo magis mirantur, quam nobis inuident. At enimuero omnes philosophi nostri, naturae mundique speculatores, contentiore semper voce, in altiorem, acutiorem, subtiliorem tonum sensim scandendo, insonantes, scilicet vt tandem aliquando, illud nunquam auditum pronuntiarent creationis verbum, cuncta pandens mundi mysteria, et nisi primi ederent, certe primi imitarentur, omnibus tamen officinae philosophicae follibus adiuuantibus, nihil vnquam nisi recentiora priscis decretis aptanda sermonis philosophici ornamenta protulerunt, verba quaedam scholastica, quae callida iunctura noua reddiderat, per aliquot annos in scholis, nummorum instar, valentia, paulo post autem incudibus systematum denuo reddenda. Rediuimus igitur in omnibus illuc, vnde iam olim progressa sunt placita antiquissimorum philosophorum, intellectis tamen paulo subtilius, et compositis illorum altercationibus, ita vt, emenso iam quodammodo Philosophiarum scholasticarum curriculo, minutiores hominum philosophantium errores, ipsiusque intellectus humani illecebrae, ope *veritatis* cuiusdam *formalis*, oculis Seculi longe lateque pateant. Verum enim vero de illa *formali veritate* ac *critica*, cognitionis, scientiae et conscientiae humanae, de cuius *dialecticis*, *metaphysicis* et *mo-*

ralibus initiis rite inuestigatis et dilucido quodam cogitationum inter se nexarum ordine compositis, altius quam par est, Genius seculi tollit supercilia, nullus vnquam Scepticorum reuera dubitauerat. Sed illa tantopere laudata *critica veritas*, de qua inuenta homines nostri subtilissimi gloriantur, ea de caussa ad nihilum videtur recidisse, quoniam ea vsque ad hunc diem, in omnibus fere scholis, pro ipsa illa *vnica veritate* venditur, quam patres Ecclesiae arcanum dei appellarunt, dum graeci Philosophi, purioris religionis expertes, eam in profundum esse demersam censerent, solusque Rex in regno diuino regnans, eam de facie nosse videretur, scilicet, Pilatum illum Romanum, de omni sublimiore quadam, quin etiam diuina cum hominibus communicanda natura dubitantem, aeternamque veritatis vim sceptica interrogatione despicatui habentem, solo aspectu conuellens.

Quaecunque igitur et qualiscunque illa sit *vis veritatis* interior, quam barbaris verbis *realem*, *materialem* et *substantialem* licet appelles, dummodo ab illa *formali* et critica *veritate* penitus seiungatur, quam Seculi Genius, sola Graecorum subtilitate eruditus, incitato studio inuestigare pergit, ea ab hoc animi foetu ipso doctissimorum hominum, omnibus rebus aeque ac nihilo occupatorum, toto quidem coelo distare censenda est. Patribus Ecclesiae philosophantibus, et in philosophando, sermone Christiano vtentibus, semper placuerat, eam *diuinam* appellare. Apud philosophos autem, Christi lucem vel ignorantes vel aspernantes, sub velo Ideologiae Platonicae, Pantheismi Eleatici et Spinozistici, monadologiae Pythagoricae, Leibnitianae, *νοουμενων* Kantianorum, Egoismi Fichtiani, ab absoluta quadam libertate pendentis, semper latuit ac latebit, nempe intelligentiam cognitionemque humanam longe superans, hominibus igitur, etiam philosophiam tractantibus, reuera, vt Mysticorum, quos appellant, vocabulo, vtamur, *reuelanda*. Hos vero scopulos plurimae Philosophorum recentiorum scholae, *Formalismo* seculi illi de quo supra disputauimus, addictae, caute vitant, cautius ignorare atque e longinquo praeternauigare quouis modo, et quantum fieri potest, tentant. Quidquid enim in sensu ac sublimiore prius phantasia, quam in intellectu hominum est positum, quidquid, inquam, ab intellectu, cuncta definitionibus determinante vix attingi, ratiocinatione vero nulla cogitationum, inter se methodo mathematica nexarum, explicari, demonstrari, comprehendi potest, id pro mero lusu poetici habent ingenii, ita vt quemlibet in ipso iam philosophiae limine a philosophando arcere audeant, qui ad normam lemmatum Euclideorum paragraphorumque Academicarum philosophari nolit. Itaque *Fichtius* Genium seculi nostri philosophantem, et in philosophando *Formalismi* scholastici morbo pertinacissimo laborantem, egregie delineauit et adumbrauit, quum omnem philosophiam, non vt Aristoteles olim, *ἐπιστημην της ἀληθειας*, sed *ἀληθειαν* quasi *της ἐπιστημης* (*Wissenschaftslehre*) vocaret. Scilicet ad *scientiam rerum* methodo demonstratiua, formalique quodam ordine cogitationum iunctarum in *philosophia*, inque ipsis hominum mentibus, ad vitae sapientiam formandis, referuntur omnia. *Philosophari* nostris hominibus, cogitationis formis, intelligentiaeque notitiis, vnicam operam nauantibus et consecrantibus, nihil aliud significat, quam nos velle aliquid *scire et explicare*; ipsis de rebus, quae sciantur, quam minime sollicitos, quasi homo ad solam *puram* scientiam explicandam sit natus, scilicet ad summum illud bonum ex sententia He-

rilli adipiscendum. Quam ob rem philosophia in scholis docenda, nullis amplius adstringitur obiectis, nullos ad fines vitae humanae dirigitur, quasi logicis modo regulis ac formulis disserendi cohibenda. Quid quod iam tum in *scholis* philosophamur, ex mente Kantii ipsius, vt in alio iam libello ostendimus, (*de philosophiae conceptu*, *quem Kantius cosmicum appellat* p. 17.) quum ingenium philosophicum, iudiciique vires, artificiosis cogitationibus, more Dialecticorum et Sophistarum, quasi gymnastico exercemus. Itaque philosophi nostri subtiliores necessario et manifesto in reliquis hominibus seculi persuasionem excitare student, sic se habentem, ac si tota *veritas* rerum diuinarum et humanarum, cuncta sapientia religiosa et ciuilis, vereque humana, a *logica* quadam arte subtiliter disserendi, a grammatica et mathesi, et quod omnium est miserrimum, ab ineptis de principiis systematum disputationibus, vnice pendeat, ad summum, ... vt aliquid saltem religioni et pietati conscientiae humanae tribuatur .... a philosophica quadam morum disciplina, vagis officiorum vix humanorum sed ciuilium definitionibus contenta. Symbolum igitur illud celeberrimum, quod Ioannes Iacobus Roussauius, ... an ex totius animi sententia, dubitatur ...., sibi in bello cum moribus temporum suorum gerendo, elegerat, *vitam vero impendere*, quid aliud indigitat, siquidem nostros Scholasticos recentiores interpretes sequimur, quam omnem vim *scientiae* atque cognitionis humanae in *logicis*, *physicis et politicis*, tanta sagacitate ingeniosae inuentionis, methodique systematicae viribus tam contentis augere, vt contemplatio naturae vniuersaque speculatio humana ad vltima mundi moenia, inque ipsum rudem indigestamque molem elementorum progrediatur, dummodo in hoc immenso progressu et legem *consonantiae logicae*, ordinemque *causarum physicarum* aeternum in mente nostra impressum, et *formam* officii in *ratione morali* positam quam religiosissime colat, saluamque et illaesam conseruet?

Aetas maiorum, omnisque doctior antiquitas, Academicam istam Graecorum subtilitatem antegressa, fortassis in hoc potissimum multa peccauerat, quod neglectis plane ignoratisque iudicii humani finibus et cancellis, nimirum de ipsa arte ac methodo cognoscendi minime sollicita, illam *veritatem*, philosophando assidue innestigandam et exquirendam, *rebus ipsis*, videlicet perpetuae interiorique earum *naturae*, per se quodammodo contemplandae, adiunxisset. Etenim veteres isti totum dramatis, fabulaeque a genere humano per orbem terrarum agendae sensum a sapientibus enodandum, in ipsissimae fabulae perpetuo argumento, satis arcano et abstruso potius ponebant, quam in mero quodam scenarum praetereuntium ordine et apparatu exteriore, quatenus ea caussarum apparentium series, contentis viribus humanae scientiae, parumper imbecillis, quodammodo comprehendi, explicari, verbisque subtilioris sermonis doctorum hominum attingi posse videretur. Itaque nunquam illi antiquissimi philosophi cogitarunt de innumeris illis variisque viis vel rationibus, quas intellectus humanus, nimium semper gloriosus atque superbiens persequi solet, vt ad completam et perfectam quandam scientiam, elegantioremque artis formam perueniat. Prisci illi homines, celeritatem istam ac sagacitatem humanae cogitationis, quam interdum Marcus Tullius satis facete ac lepide pro ipsa *ratione* hominibus diuinitus tributa habere solet, magis in rebus occultis detegendis

adhibuerunt, quam vt exemplo Narcissi, semet ipsum solum intuentis et amantis, ac more recentiorum philosophorum nihil praeter artem intelligendi et cognoscendi cum admiratione et laude propria contemplarentur. De diis mundum administrantibus, fortunaeque mortalium modo fauentibus modo aduorsis, de primordiis mundi atque initiis indagandis, vnde omnia essent orta, generata, concreta, mythico quodam, symbolico et mystico, si mauis, crasso quantumuis poetico sermone, sine omni a scepticis et criticis serius exhibita molestia, ita confabulati sunt, quasi de rebus ante oculos vatum et epoptarum positis, quasi de personis cuilibet aeuo praesentibus, quarum dignitatem prouincias et officia penitus pernouissent. Longe aliam, immo plane inuersam viam ingressi sunt Graecorum philosophiae ac scholae, scepticis et dialecticis iamdudum rationibus corruptae, scientiaeque humanae illecebris seductae, quae nos ad cognitionis et intelligentiae artificia totos conuertere nullo non tempore maluerunt.

Quarum ex pruritu, subtiliter de solis scientiae *formis* disserendi, omnem seculi nostri philosophantis rationem iam nunc etiam pendere quis non videt? Satis quidem ingenue, ac more suo ingeniose hanc philosophiae recentioris indolem prodidit *Lessingius*, vir illustris, inter coryphaeos eruditae aetatis *nostrae*, nempe sententiarum similitudine ac consonantia potius, quam mero annorum numero metiendae procul dubio referendus, quippe qui non erubuisse fertur pronuntiare, quod si deus forte ei dexterâ manu puram putam ipsissimamque veritatem ostenderet, sinistrâ autem solam vim ac facultatem vera sensim inuestigandi et inueniendi, nullus sit dubitaturus, hanc sinistram arripere. Nec male id quidem, ... nihil enim sine labore vnquam vita dedit mortalibus, neque exigua nobis nascitur ex ipso labore contentis viribus suscepto et peracto laetitia . . . . dummodo deus ipsam viam ad exquirendum veritatis thesaurum recto tramite persequendam, aeterna non premat caligine! At de hac ipsa quidem aeterna caligine non secus ac Socratis vel Marci Tullii temporibus persuasum est recentioribus Sophistis nostris et dialecticis. Nihilominus *logicum* illum suum *enthusiasmum* commendant, et Henricum Fridericum *Iacobi* aliosque similiter philosophantes Mysticis annumerant, foenum in cornu habentibus, nempe quoniam illi *altiorem* atque sublimiorem, quem vocant *veri* locum, vti diuina omnia, *velo* quodam obductum, sensui interno igitur, nulla syllogismorum ope, *reuelandum*, ab inanibus ratiociniis istis et cauillationibus abstrusis dialecticae scientiae penitus secernant, intelligentiaeque vinculis ac regulis plane eximant. Quid multa? Vt longos ac flebiles ea de re canendos elegos breui praecidamus, Genius seculi nostri artus ac neruos omnis sapientiae, *ἀλήθειαν* illam, quam subtilissimum Aristotelis ingenium, etsi idearum illarum Platonicarum, ab intellectu humano non explicandarum strenui aduersarii, in philosophia definienda nihil cauillationum a Scepticis et Sophistis metuens, intactam reliquerat, omnesque *οὐσίας*, quas idem philosophus eâdem mentis acie, qua *τέλος* speculationis philosophicae in *veritate* positum adspexerat, pro *veritatis* illius partibus quasi et fundamentis habuerat, funditus repudiauit et sustulit, altissimamque cogitationum humanarum arcem demolitus est. Nunc temporis mens humana, ex innumera turba notitiarum a rebus ipsis, cultello anatomico acutiore semper et subtiliore adhibito, abstractarum et separa-

tarum nihil aliud iam in philosophando intuetur, praeter semet ipsam, nihil praeter semet ipsam cogitantem. *Οὐσιαι* igitur omnes Aristotelicae, Monades illae et vnitates, quas Pythagorae, Eleaticorum, Spinozae et Leibnitii subtilitas, phaenomenis mundi quasi absconditas olim subiiciebat, iam pridem apud nos soli illi *τῳ Ego* Cartesiano cesserunt, celeberrimo subiecto cogitationis, quod in aeternum philosophatur, cuius inanem conceptum lepida nostrorum hominum, in cubiculis scholarumque aulis philosophantium capita nunquam desinent, vtcunque et quantumuis frequenter admoniti, cum ipso immenso illo argumento confundere et conflare, quod humanâ, ne dicam diuinâ conscientiâ continetur. At ipsum illud etiam *το Ego*, vix amplius humanum, sed in scholis solum philosophans, quod quidem, si Kantium audimus, pro simplici quadam forma, apperceptionem perpetuo comitante erit habendum, si Cartesio autem fidem adiungimus, certe existentiâ quadam et essentia gaudebat, neque igitur tantum cogitabat, sed conscientiâ etiam (*Allgem. Religionslehre p. 83.*) vtebatur; quod, secundum Fichtii praecepta, semet continuo ponebat et denuo agnoscebat, nouissimis his temporibus tanquam vmbra euanuit. Habemus iam dudum in *nouissimis* philosophiis *ens summum*, videlicet *viuum actum cogitandi* ipsissimum, simplicissimum, infinitum, absolutum, diuinum, cuncta comprehendentem, nihil et omnia determinantem, quem, emenso systematum curriculo, tamquam deum terminum attigimus. Quis igitur amplius dubitare poterit, de eo quod multi, in nouissimis scholis philosophiae explicandis occupati nunc autumant et affirmant, omnem istam euersionem formarum scholarumque philosophicarum, acerbo seculi fato iubente excitatam, nunc tandem aliquando, superato extremo speculationis fastigio, esse finitam et terminatam, simili modo ac Gallicus Imperator conuersionem rempublicarum olim videbatur terminasse, motosque in perpetuum fluctus composuisse? Ad quae vlteriora pomoeria mundi Philosophi scholastici progredi queant, ipsi iam viderint. Neque enim audiendi sunt Dialectici et Sophistae, qui de immensa varietate summorum principiorum systematicorum partim conqueruntur, partim etiam gloriari solent. Eo quidem vsque progressum est vitium philosophiae hodiernae, ut deserto illo ac relicto aeterno argumento *veritatis*, auctoritate Aristotelis, *τελος* et obiectum peculiare philosophiarum cunctarum appellato, omnem systematum differentiam in dialectica *methodo* ponat, lusu ingenii forte artisque subtilitate inuenienda, scilicet in mera *Forma* variabili ac ratione diuersa disserendi, docendi, praecipiendi, quippe quae, vt pacem et veniam Euclidis rogemus, vel in mathematicis disciplinis locum habere potest.

In *noua conscientiae humanae, quae recta ratio vocatur, Analysi* (anno 1829 edita, cf. *allgem. Religionslehre p. 59 sq.*) iam pridem ostendimus, omnem speculationem philosophicam, vel maximam ingenii sublimioris licentiam sibi arrogantem, principium tamen scholae quaerentem, ex parte saltem verum, et decretis systematis subordinatis quodammodo consonans, in *uno* ex *quatuor*, nec pluribus omnis conscientiae humanae *elementis* inuiti ac pedem figere posse, et vnquam potuisse, nimirum aut in elemento conscientiae *obiectiuo* siue *ontologico*, quod *res* appellamus, aut in *subiectiuo* siue *psychologico*, quod *mentem* dicimus, aut in elemento *cosmico*, nempe

in *copula* illa conscientiae, qua subiectum cum obiectis, mens cum rebus, *ordine* quodam *continuo existentiae* coniungitur, aut denique in *elemento theologico*, in illa a maxima parte philosophantium neglecta *basi* omnis conscientiae humanae, quam vel sermone logico licet *essentiam*, *rationisque substantiam* nominare, religiosus autem homo *deum* appellare solet. Quocirca *Philosophiae*, non sine altiori et constanti quodam principio, nec sine arte systematica philosophantes, etsi his *quatuor* essentialibus conscientiae humanae elementis et formis coniunctis vix vbique carere possent, tamen, si ad *initia* ipsa systematis respicias, quae pro fonte cognitionis habeantur, nullo non tempore ad summum *quatuor* floruerunt, scholarumque applausu florere potuerunt I. *Realismus*, inquam, quem etiam *Monadismum* modo *materialisticum*, modo *spiritualem* nominare licet, II. *Idealismus* III. *Pantheismus* et IV. *Theosophia*.

I. Veteres igitur ac primi tempore philosophi, vt supra monuimus, toti se in contemplandis *rebus* ponebant, et iure suo *philosophiam* tanquam scientiam *rerum diuinarum humanarumque* salutabant. Indagatio igitur initiorum et seminum, elementorum, Monadum, ex quibus mundi ordo prodiit, in hac *priscorum* hominum *realistica* et mere *obiectiua philosophia*, omnibus reliquis antecedebat rationibus. Hac *physica rerum* contemplatione praegressa ac quodammodo peracta, existebat primum, vt vel e Marci Tullii ratiocinationibus discimus (Tusc. V. 25.) celeberrima illa, Delphis praecepta cognitio, vt ipsa sese mens humana agnosceret, interque reliquas *res creatas* in vita collocata, coniunctionem quandam cum diuina natura sentiret. Atque ab hac Veterum *obiectiua*, metaphysica, mysticis etiam traditionibus et symbolis repleta philosophandi ratione parum etiam *philosophia* Christiana et Scholastica distabat, quippe eidem *Realismo* dedita et adscripta, tum propter fundamenta religionis mere historica, tum ob symbolicam quandam et sacram indolem poeticam, ab ista Sophistarum et Dialecticorum subtilitate, inani, ieiuna et taedium mouente maxime abhorrens. Facile etiam illa *Realistica* philosophandi methodus cum Empirismo, qui Scepticos inprimis tenet, cumque disquisitionibus Lockii, Humii et nonnullorum Francogallorum conuenit et conciliatur.

II. At longe aliam, plane inuersam, *Realismo* isti, ex opposito, contrariam viam ingressus est *Cartesius*, qui in annalibus philosophiae systematicae pro parente *Idealisticae* et *Subiectiuae philosophiae* etiam nouissimae, procul dubio semper habebitur. *Idealismus* ille et *Egoismus* Cartesianus, a Scholasticorum barbarie, inauditam, quam *terminologiam* vocant, pro philosophia vendente aeque ac per subtilissimam dialecticam Sophistarum, Stoicorum et quinque Academiarum Atheniensium informatus tam tristia cepit incrementa, vt is hodieque mentes et animos doctorum hominum, ad vesaniam vsque possideat, ab omni vitae vsu et fructu hominem arcendo et auertendo. Miserabilis sane et deploranda disciplina, illa de *animo humano* disquisitio, recentissimis etiam temporibus celebrata, cui mira est demandata prouincia ens quoddam contemplandi, quod neque ad coelum neque ad terram pertinet, perpetuum quoddam subiectum cogitandi, quod sibi ipsi tanquam obiectum proponitur, cuius in altum exstructae diuitiae, maxima ex parte, corpori, aliisque *rebus* mundi debentur, in-

primis autem culpae humanae, prauoque omnis vitae vsui, vanaeque superbiae, de intelligentiae viribus et scientia glorianti, ceterum etiam sine ope diuina ad aeternam inter beatos sedem adspiranti. Nihilominus haec methodus philosophica ex *psychologicis* initiis ac principiis, tanquam solis, quae rationem cogant, disputandi maxime arridet omni mediocritati ingeniorum, quae nimirum, vt dubitationes Scepticorum caute vitent, hodie non erubescant, *vnicam philosophiae definitionem* in *legibus quibusdam* ac *formis* menti humanae impressis, enucleandis, breui in illa sua, quam vocant *Psychologiam*, quaerere, quum satis lepide rem certam, hominem viuum, cum re incerta, animo siue spiritu, a vulgi sententia ne digitum discedentes confundant. Scilicet, quid nomine et auctoritate philosophiae in scholis amplius sit venumdandum, postquam Kantius ideas *metaphysicas* exulare iusserat, et in insulam, beatorum sedem deportauerat, plane nescientes, illam siue empiricam, siue rationalem *psychologiam* cupide arripuere, omnes de veritate, ipsâque vita humana sententias hominum in vacuum Idealismi abyssum detrudendo. Nouimus excusationem, qua *psychologi* nostri, omnem modum in hac mere *formali* ac *subiectiua* existentiae humanae perscrutatione excedentes, vulgo vti soleant, scilicet vnice hic esse posse sermonem de Egoismo *speculatiuo*, Idealismo quodam in *initiis philosophiarum* vix euitando, non in *rebus* ipsis explicandis, neque ad vitae vsum adhibendo. Vana nec toleranda excusatio errorum grauissimorum! Etenim ad hunc *Idealismum*, licet enim mere *formalem* et cum Kantio tuo *transscendentalem* appelles, nulla vnquam, non euitabili naturae necessitate vehimur. In quam sententiam ducumento sunt et exemplo omnes gentes priscorum temporum, remotissimaeque antiquitatis, naturae incunabilis propiores, quippe omnes Realismo pantheistico deditae, ad *Theosophiam* sensim assurgenti, eoque religiosiores, quo minus de mentis absoluta substantia cogitarent, quemadmodum Ebraei vates, in solius summi numinis lumen, vitam et gloriam toti se immergentes, pusillaeque *intelligentiae humanae* plane immemores. Est igitur ille *Idealismus formalis* siue Formalismus Idealisticus ab Academiis Atheniensibus, Scepticorumque et Sophistarum acumine manifesto profectus, irreligiosae foetus subtilitatis scholasticae, artisque vmbratilis. Latet in hoc vbique hodie dominanti genere philosophandi nescio quae secreta *Apotheosis intelligentiae humanae*, omnisque *cogitationis*, finibus conceptuum determinatorum adstrictae, vsurpato ambiguo *rationis* nomine, in omnes reliquas, quin etiam sublimiores animi humani facultates saeuam, taediosamque tyrannidem exercentis, sancta, optima et cara quaeque sub iugum categoriarum suarum et regularum puerilium mittentis. Quocirca ista mere *formalia* h. e. *logica*, *psychologica*, *egoistica*, *idealistica* initia philosophiae, quum ad arcem ipsius *veritatis* in conscientia humana arte et methodo exstruendam fundamento ponuntur, multo pernicisiora sunt existimanda omnibus vel crassissimis somniis Leucippi, Epicuri, physicorum dynamicorum, pantheistarum, ipsiusque *Idealismi* illius *realis*, a Malebranchio, Berkeleio aliisque viris haud impiis profecti, cui placuit, in phaenomenis etiam istis per spatia quasi perpetuo extensis feliciter explicandis solum *intellectum agentem* aeterni omnipotentisque numinis, instar virium creatricium, sufficere, ita vt creaturae cogitantes omnia, cogitationis diuinae plena, in solo Deo videant atque percipiant. Scilicet omnis illa philosophia, quae a sola et vnica *materia* sensibus comprehendenda nomen habet,

nobis certe pium quendam amorem largitur, quo almam matrem, rerum naturam, amplectamur. Benedictus de Spinoza, cuius nomen hoc loco vtrum *pantheistis* an Theosophis mysticis adscribas, parum interest, multi certe nominis philosophus methodoque sua obsoleta mathematica certe multo sublimior, supremum quoddam quod *tertium* vocat, cognitionis genus, statuit, ex quo laetitia oriatur, concomitante idea dei, tanquam caussâ, (Eth. V. *de libert. human.*), h. e. intellectualis amor Dei aeternus. Quid vero vnquam in coelis, quid in orbe terrarum, praeter inanem conceptuum ordinem, concentum et *ὁμολογιαν*, inanemque scientiae et iudicii dignitatem curat, amat, persequitur *Idealismus* noster *formalis*, *transcendentalis*, *psychologicus*, quem Sophistis Atticis, logicaeque disciplinae Stoicorum et Eleaticorum Scholasticorumque nugis merito in acceptum referimus, etsi Cartesius demum, omnis *Formalismi* et *Criticismi* in scholis Germaniae ad hunc diem florentis parens, in *dubitatione sua egoistica* primus summam summarum huius *sapientiae formalis* expresserat. Nimirum ex quo philosophandi hoc genus, in docta eruditorum ciuitate rerum potita est ac capitum, nulla nisi *Entis cogitantis* existentia, sibi constans, conceditur, admittitur, atque omnia coram ante summum et vnicum tribunal *criticum iudicii humani*, quod *rectam* rationem appellant, adducuntur, a quo nulla amplius est, vix ad sensum communem, multo minus ad vim imaginandi, ne ad ipsum quidem summum aliquod numen prouocatio. Quippe *de diis*, *an sint nec ne*, multo minus *quales* sint cogitandi, Idealistae nostri critici non habent quaerere. *Intelligentia humana*, solius essentiae, existentiae, substantiae compos, iam pridem a Scholasticis et Cartesianis iure suo postulaverat, vt sibi ipsi existentia Dei, Optimi Maximi, patris et regis personam induentis, methodo *ratiocinationis demonstratiua* demum innotesceret atque probaretur, qua demonstratione corruente, *praesens diuus sola* et vnica *Intelligentia*, formalisque Sapientia hominum eruditorum habetur, quippe quae aeternas *leges* mundi minus noscat promulgatas, quam methodo constructiua excogitet, quasi mundo ponendas. Quis Lucretius, siue Leucippus, quis eorum, qui in Gallia „*rerum naturae systema*“ conscripserunt, nostris *Psychologis* et *Idealistis* et *Dialecticis* in Germania hoc seculo florentibus ... ipso *Fichtio* non sine ingenua quadam magnanimitate id quod negari diutius non poterat, fatente ... magis *ἀθεος* existimandus fuerat? Hac in re certe carebat vanissimae culpâ superbiae. Nec minus sincere ac candide inter Philosophos seculi *mysteria philosophiae formalis ac logicae* in vulgus eloquutus est *Fichtius* noster, cunctis istis Dialecticis et Idealistis constantiâ sua, *ὁμολογουμενως* philosophando, longe praecellens. Scilicet *Materialismus solam cogitationis* vim ad atomorum turbam detrudit. *Formalistarum* autem vulgus fidenter et secure cum ista aurea psychologica mediocritate certissimarum grammaticarum et mathematicarum *formarum* habitare sibi videtur, quum abyssum non *aspiciunt* latentem, *Nihilismum* illum cum omni *formali scientia* coniunctum. Hic *Formalismus transcendentalis*, psychologicas veterum Sophistarum, Scepticorum, Stoicorum, Academicorum cauillationes, adiectâ barbarie terminologiae scholasticae medii aeui, ad nauseam recoquens, solam *mentem* vult omnium rerum iudicem, nempe *Intelligentiam* et *Scientiam absolutam*. Actus cogitandi methodoque demonstratiua cognoscendi et iudicandi, in arce *veritatis*, a meris formis subiectiuis exstructa, innixus, sibi a nulla re magis cauet, quam ne deci-

piatur, ne a formarum via aberret, temerarium, indignum dignitate scientiae assensum alicui rei largiatur, fidem alicui sermoni habeat, scientifica methodo carenti. Haec igitur *formarum scientia*, per mundum late patens, quam iam Stoici religiose coluerunt, nostris etiam *Psychologis* summa est *Deitas*, etsi in inani et vacuo habitans, spatiorumque et temporum cancellis, humanaque fragilitate quantumuis circumscripta! Vltimum verbum restat adiiciendum! *Intelligentia* illa, quae sese ipsam in humana natura, instar dei, colit, ita vt praeter *formas Fati necessarias* vllius substantiae personaeque neque maiestatem, neque caritatem agnoscat, quum inanem suam existentiam atque sibi constantem essentiam ipsamque spem immortalitatis a *diuinitate* et *deitate optimi* numinis separet, pro *Spiritu* sane habenda erit paullo altiore corporibus et animalibus, verum ea de caussa neque sanctiore, neque diuiniore. Est enim, de *sola* scientia superbiens, hic *Intellectus* ipsissimus *Dei aduersarius.*

III. Quis ergo posterorum hominum, annales philosophiarum, sopitis factionum in republica litteraria igniculis, aliquando forte euoluentium, indole humana vel mediocriter perspecta, vnquam mirabitur, ingenia philosophantium, innumeris illis praeceptis, decretis, altercationibus ideologicis de scientiae recta methodo, de assensione et approbatione, de intelligentiis rerum animo impressis, vexata et male habita, non solum cum taedio se auertisse ab arrogantibus systematum magistris, sed *verâ fugâ vacui* fuisse correpta, tantoque *horrore Nihilismi*, ab isto *Formalismo* logico et psychologico nunquam separandi, vt quam celerrime castra illa Atticae *Subtilitatis*, barbariei Scholasticae, Egoismi Cartesiani et psychologiae criticae desererent, seque, scholâ prisca Ionica Thaletis et Anaxagorae multo profundius, in immensum *Pantheismi* oceanum atque in obscurissimas *Cosmogoniarum* quaestiones denuo immergerent? Videtur enim omnino in sorte humana esse positum, vt sententiae hominum, ab vtraque parte modum excedentes, semper inter extrema pericula non diversi solum generis, sed plane contrarii, versantes, nempe, vt breuitatis caussa vulgari adagio vtamur, vix Scyllae angorem expertae, ex opposita parte mediam in Charybdim incurrant. Secundum hunc igitur fatorum humanorum ordinem, ex ipsa iam inani illa et ieiuna dialectica Sophistarum Atticorum *το ἑν και παν* exstitit *Eleaticum*, similique modo ex illo Egoismo idealistico Cartesiano, omnem mundum subiectivae mentis substantiae subiiciente, *Spinozismus* in eiusdem fere scholae aulis natus est, quippe quo mens humana obiectinâ mundi substantiâ denuo absorberetur, deinceps ex Kantii philosophia transcendentali, solas cognitionis formas exponente, sicut ex Fichtii Idealismo vnice scientifico prodiit, quasi Phoenix ex mundi cineribus, *nouissima* ac celeberrima *philosophia* de *vniuersa natura rerum.*

Ac sane quidem videri poterant hominum ingenia, quum, ex *psychologico* philosophandi genere, intolerabilem et taediosam eius tyrannidem diu experta, ad rerum naturam contemplandam et *cosmicis* rationibus explicandam sese denuo conuerterent, in antiquissimarum gentium *Realismum metaphysicum* (I.) denuo recidisse, atque in gyrum simplicissimum circumacta, ab obiectis ad subiectum agnoscendum profecta, a cogitationis autem subiecto ad rerum caussas exquirendas reversa, illuc vnde venerant sine omni speculationis fructu rediisse. At semel monuisse sufficit eos,

qui philosophiarum historias, facili negotio, multis circumfusi philosophorum voluminibus conscribunt, inprimis tyrones, ad diiudicandas varias systematum formas paulo nimium promptos atque accinctos, ex perpetuis sententiarum philosophicarum annalibus neque continuum progressum, neque momentanum regressum, siue motum retro quasi flectentem philosophiae systematicae perficiendae, pure et simpliciter talem, esse colligendum. Reuera etiam *quatuor* illa genera philosophandi, quae enumerauimus, etiam omnibus fere aetatibus simul, *vno* tamen eorum in egregiis quibusdam ingeniis videlicet praeualente, floruerunt, quemadmodum saepius quoque mixta ex duobus vel tribus conscientiae humanae elementis essentialibus principia in vna alteraue schola, propter summorum decretorum constantiam minus laudandâ, obtinuerunt. Attamen in hoc certe etiam philosophantium scholae semper visae sunt ad altiora properare, quod recentiori quodam philosophandi genere ad nauseam tractato, ideoque relicto, ad vetera castra philosophi redeuntes, aliquid tamen in ea referrent, maioris momenti, ad emendandam illarum priscam disciplinam, scilicet vt ampliorem vitae àspectum et intelligentiam ordine decretorum suorum praeberet, maxime necessarium. Atque id quidem omnibus contigit, qui a primis incunabilis meditationis philosophicae vsque ad nostra tempora de natura rerum deque mundi origine curiosius fortasse, quam par est, in hac mentis humanae imbecillitate, disseruerunt. Etenim vetustissimi Philosophorum, *Realismo*, quem diximus, *metaphysico* penitus dediti, de *natura* rerum vix tam sublimem vel diuinam notitiam conceperant, vt *Pantheistarum* nomine proprie venire potuissent. Ipsa illa *naturae* definitio, quam in libro Plutarchi de placitis philosophorum legimus, ex Stagiritae excerpta voluminibus, nobis documento esse poterit, priscos mundi contemplatores de sola quadam *singularum rerum natura*, quasi de seminibus omnis vitae, cogitasse, neque ad totum quendam *mundi ordinem*, aeterna caussarum serie compositum, imaginandum, mentem appulisse. Ex Pythagorae ergo Symbolis mathematicis, ipsisque fortasse *Ideis* Platonicis, quae aeternae *ἀρχαι* et *αιτιαι* dicebantur, vix aliud quidquam nisi obscurum aliquod *Monadismi* systema elici potest, et substantiarum simplicium congregatio, ab elementorum et atomorum turba, quae *Materialismo* placuerat, haud multum discrepans. Neque omnis Ionicorum, de Elemento quodam palmario, ad creandas res in varias formas compositas abeunte, disputatio ad hanc *rerum naturam*, significatione *pantheistica* intelligendam, vnquam pertinere potuit, quam primi *Eleatici* et *Stoici* excogitauerunt, vti iam monuimus, *subtilissimis* iam *psychologicis* et *logicis* fatigati et exagitati quaestionibus. Verum enimuero *subiecti* illius, quod in homine cogitat, constantia quaedam et vnitas, quum rebus ipsis, quas mundus ei varias obiicit, quasi *praedicatis* vtatur, in iudicio conscientiae coniungendis, primum ideam *του ἑν καὶ παν* in Dialecticis excitare potuit, ad physicam explicandam animum conuertentibus. Quid porro aliud significare poterat illa *lex naturae* ex Stoicorum sententia sane pantheistica, toti rerum vniuersa inserta, a caeco fato haud multum differens, illa anus fatidica, *προνοια* quam vocabant, nisi *indefinitam* illam et quodammodo perpetuam successionem cogitationum animi, aliarum ex aliis aptarum, istumque *nexum caussalem* mutuum et reciprocum inter subiectum et obiectum, inter mentem et res a mente discretas in ipsissima hominis conscientia intercedentem, quam subtilitas Stoica, psychologicis quaestionibus et logi-

gicis distinctionibus ad nauseam satiata ex *dialectica* philosophandi ratione in priscam illam scholam *Realisticam Monadismi* transtulerat, vt altius et sublimius quoddam philosophandi genus, videlicet *cosmologicum* et *pantheisticum* prodiret. Sed acutius iam vidit Battesius ipso Baylio, neque *Eleaticos*, neque *Stoicos* reuera *Pantheismi cosmologici* palmam iam merere, aut si mauis, in huius systematis culpam et reprehensionem incurrere potuisse. Etenim scholâ *Cartesianâ*, prius *demum* interpositâ, opus erat, denuo ad psychologiam rectis passibus redeunte, quae *substantiam mentis* cogitantis, in ipso limine philosophiae vnicam sine omni dubitatione poneret, illamque ab omnibus prisci Realismi *monadibus*, de quibus deinceps primum inter philosophantes, constaret, penitus seiungeret, vt tandem aliquando diuinum Spinozae ingenium summum *Pantheismi cosmologici* fastigium superare posset. Quod *tertium* philosophandi genus appellauimus, nostra quoque aetate, nisi praeualens, certe magnopere celebratum et omnibus modis explicatum. Quî enim vlla *philosophia* ad aliquam logicam *scientiae formam*, *formalisque veritatis* speciem adspirans, *Dualismum* illum principiorum *idealisticorum* et *realisticorum*, ferre ac tolerare diutius posset, quem luce *Egoismi* Cartesiani ita inclaruisse vidimus, vt ipsum iam Cartesium de animorum et corporum coniunctione sollicitum male haberet, ac torqueret, neque a *Leibnitii* harmonia praestabilita, neque ab *Idealismo* Fichtii *speculatiuo* simul et *morali* componeretur. Tota igitur salus *meditationis* philosophicae in decretis *Spinozae* iam pridem erat reposita, qui *aeternum* infinitumque *mundi ordinem* ipsum pro sola et vnica absoluteque libera *substantia* habuerat, cui phaenomena entium cogitantium et in spatio extensorum, cuncta adhaererent, *naturamque* aliquam *naturantem* in medium protulerat, nomine *Dei* frustra insignitam, omnia non quidem *parientem*, sed vi creatrice proprioque motu construentem et generantem.

Habemus igitur nouam ac *tertiam Philosophiae*, scientifica methodo tractandae, *definitionem*, quam profundis Spinozae meditationibus demum acceptam referimus, in qua non quidem vt in *Realismo* (I.) de *rebus* diuinis et humanis, neque, vt in *Idealismo* transcendentali et critico (II.) *formali*, de solis *animi formis*, *Ideis* ac *legibus* sermo est, sed (III.) de *natura naturante infinita* et *absoluta*, *aeterno* et vnice *substantiali* siue cogitationum siue rerum naturalium *ordine existendi*. Hoc igitur *argumentum Philosophiae* tertii generis a Spinoza prolatum, quod profecto *absolutum* mundi principium rectius vocamus, quam ipse Spinoza *Deum*, quippe quod ab omni alia substantia *liberum* esse videatur, sed tamen suae ipsius naturae interioris necessitate, fati instar, deuinctum, caue confundas neque cum prisca illa rerum matre, Iside, quam multi naturam siue *φυσιν* appellarunt, non procreante, sed pariente, neque cum solo complexu rerum cogitatarum Eleatico, neque cum vniuersa *lege rationis*, a Stoicis excogitata. Noluit hic summus, genuinus et vnicus *Pantheismus* Spinozae, omni profecto *Monadismo* realistico, vanoque *Idealismo logico* multo sublimior, solum rerum mundi, quotquot in seminibus forte latent, complexum, nec caecam quandam vim *plasticam*, figuras elementorum formantem. Arripere voluit cogitatione et comprehensione id *vnum*, quod per se neque modo humano cogitat, neque gignit, sed quod vnum exstitit, actu existit et in futurum exsistet, sed tamen *infinito*, *internaeque necessitatis ordine*, ac lege iubente, *finitas* creaturas profert, vt *harum*

finitarum creaturarum ope demum, ipsarum propriae naturae legum fiat conscium. Quantumvis sublimis igitur sit haec *pantheistica* philosophandi ratio, a Benedicto prolata, nostroque seculo aeque apud exteras gentes, atque a Germanis exculta, in maximam partem vero ab atheistarum et materialistarum plebecula miserrime tractata et ad pessima vilissima quaeque commendanda semper adhibita: nullum tamen melioris notae animum latere vnquam poterat differentia manifesta, quae inter quandam mundi substantiam *naturae suae naturantis necessitate* ad procreandum coactam, creaturisque singulis ad cognitionem sui et cogitationem absolutam quasi euoluendam, ministris vtentem, verumque *Creatorem* intercedat, qualem *Philosophia Christiana*, informare potest, videlicet iubente et adiuuante hominis religiosâ conscientiâ, scripturis sacrisque traditionibus religionis, diuinitus institutae, illustratâ.

„Christiana enim fide instructi credimus, esse *Deum*, mundi *auctorem*, omnipotenti *con*-„*silio*, *liberaque voluntate* (quam nimirum in diuino suo numine sustulit Spinoza Eth. I. prop. XXXII) „sensum vitae aeternae, *suamque imaginem* per animantium seriem, solâ sâpientia sua „definiendam, *paterno* amore continuo propagantem, nullo igitur mundo rerum apparentium indigen-„tem ad propriam beatitatem cognoscendam et explicandam, nullo deuinctum decreto ac fato, ne a „*se ipso* quidem profecto, in gloria sua cum beatis creaturis participanda *meram gratiam libere* „manifestantem."

IV. Quam *veri* ac *viui Dei* notitiam, conscientiae humanae liberae, morali et religiosae fundamento esse ponendam philosophi *religiosi* omnium temporum existimarunt, *quartum* igitur illud, quod *theologicum* supra appellaui, *genus philosophandi* in medium protulerunt, vt ab *omni Pantheismo* tum ex *Monadologia metaphysica realistica* (I.) tum ab *Idealismo logico* Eleatarum et Stoicorum (II.) tum a *philosophia cosmologica Absolutismi* Spinozistici (III.) deriuato, se penitus separarent. Neque enim *homo religiosus* in *deo suo* Vnitatem quandam mere *mathematicam* et metaphysicam, e sententia Pythagorae, symbolice tamen de eo, quod est, philosophantis, agnoscet, neque *Vnitatem* istam mere *logicam* mentis Intelligentiae et Cogitationis identicae curabit, ab Eleaticis cum Infinito ita compositam, vt haec crassa confusio ne in Marci Tullii quidem libris (Nat. D. I. 11) probaretur, neque *Identitatem absolutam infinitam* et *necessariam* in *ordine* cosmologico *Naturae naturantis*, a Spinoza positam quaeret, quippe quae solius *fati* nomen meretur, sed ad λατρειαν λογικην requiret in deo *Vnionem quandam*, *substantialem*, nimirum *constantiam sanctam conscientiae diuinae*, *personae* moralis *formam* in creandis, gubernandis, administrandis rebus mundi humanisque animis *induentem*. Iam vt *personae moralis* conceptus ad informandam Dei, religiose colendi, notitiam, adhiberi queat, logica iam contemplatio et Analysis omnis humanae *Conscientiae* docet, Deo *primum* esse tribuendam illam ab irreligioso *Quietismo Spinozae* sublatam *liberam Voluntatem*, ex *vno* eodemque sancto puroque fonte *amoris* et gratiae manantem, propter hanc sanctitatem quidem, immutabilem, sed nullius fati decretis adscrictam, vnde *Deum naturâ sua bonum* merito appellant patres Ecclesiae, exemplo Christi praeceptoris

ipsius, voluntatem vnice bonam in deo agnoscentes. Deinceps *natura rationalis* et moralis, in deo sub forma *personae* substantialis culta, *vnum idemque* ac constans etiam *consilium*, propositum, vnum eundemque finem (τελος) mundi phaenomenis assequendum, ponit, qui vltimus finis, cui homines religiosi inseruiunt, a Christo *regnum dei* vocatur. Quocirca deo ipsi, mundum huius finis caussa administranti, *secundo loco*, *prouidentia et sapientia* aeterna, ac quaedam *intelligentiae identitas* tribuenda est, quae vero pro *infinita* non est *habenda*, quidquid illi *logici* mussitent. Etenim *nullus intellectus*, ne *diuinus* quidem, sine cancellis cogitari potest. *Amor* solus *absolute infinitus* dici poterit. Sed ipsa *sapientia diuina* (λογος) nimirum quatenus in rebus creatis administratisque explicatur, haud iniuria vocatur *prouidentia*, cancellis temporum circumscripta. Vnde ipse Christus, τον λογον personam in terris induens, *deum patrem*, *maiorem* esse se ipso, confessus est, quod inscitia Theologorum interdum satis lepide ad solam *humanam* naturam Christi, miseriam humanam participantis, referre solet, quum de ipsa *diuina* Christi natura, quantumvis coaeterna et consubstantialis habeatur, hoc dictum sit intelligendum. *Tertio* loco ad *personam* colendi dei, quippe cui religiose seruiamus, informandam *constans forma* creandi, loquendi, *apparendi* iubendi, iudicandi, pertinet, quam *gloriam diuinam*, δοξαν του θεοῦ in libris sanctis appellatam legimus, illam quodammodo per Christum cum humana quoque natura communicandam. Etiam haec *gloria* reuelationis diuinae crescere ac decrescere potest in terris, neque splendorem ipsius maiestatis diuinae, quem etiam *vmbram* licet appelles, eundem vbique miramur, quod ipse Christus in Euangelio testatus est. *Quarto* vltimoque loco ipsa dei *deitas*, *personae* aspectum ac faciem in religionis cultu praebens, a philosophia religiosa ita explicatur, vt Deus pro solo, qui *Ipse* sit, pro altissima *substantia* totius *conscientiae* humanae, in hominum genere explicatae, habendus sit, quare Christiana humilitas *humanae personae dignitatem*, solius tantum *dei* nomine, mortalibus esse concessam putat, et Stoicam illam superbiam, iuxta ac si homuncio, sine deo in sola *rationis* formalis vsu partes diuinae personae sustineret, ne flocci pendendam esse existimat, etiamsi Kantii ac Fichtii auctoritate, nugae hae quotidie nunc recoquantur. Hanc ob caussam quidquid *bonum* est in *vita* et actionibus hominum soli *Deo* acceptum ferunt Lutherus et alii, certe qui Augustinum sequuntur.

Quanquam hoc igitur *quartum philosophandi genus theologicum* apud Plotinum et alios Neoplatonicos sane in *Mysticam Theosophiam* minime probandam abiit: tamen in *quarto* nostro *de virtutibus cardinalibus*, demonstrauimus, veteres iam philosophos *Stoicum pantheismum* libenter deseruisse, vt omnem philosophiam in contemplandis, mundo applicandis, et imitandis his modo enumeratis quatuor *virtutibus exemplaribus* Dei quaererent.

Hac igitur differentia et discordia *quatuor* generum philosophandi, mutua vice in scholis, ab vna vel alia parte modum *rectae rationis*, per *nouam Analysin* nostram §. 3. l. c. p. 11 seqq., definitum, excedentibus, sese excipientium, oppugnantium, emendantium, ac supplentium, ita perspecta ac perpensa, vt ad exactiorem temporum computandorum et gentium consignandarum descriptionem, compilatoribus historiae litterariae relinquendam, hoc loco non respiceremus, quis unquam inficias ibit, in hodiernis *Philosophiis,* maiore quodam plausu celebratis, quae inde a Lockii, Humii, Fran-

cogallorumque Empirismo ac Scepticismo vsque ad dies nouissimos ex meditatione ingeniorum philosphicorum prodierunt, *vnicum Formalismum regnasse* et praeualuisse, scilicet illum impetum et pruritum philosophandi, nihil aliud in coelis atque terris exquirentem, nisi aut aliquam omnis *scientiae* siue *cognitionis humanae methodologiam*, humanique *intellectus* ad *veritatis* formalis siue *criticae* normam castigandi cancellos, aut . . . . . si *subiectiua* haec dialectica et psychologica disquisitio nimium taedium moueret, ... solum *mundi ordinem*, aeque *formalem naturaeque naturantis ideam*, haud minus *intellectualem*, quam tamen subiectiuo-obiectiuam et absolutam appellarent, et a vinculis subiectiuis *cogitationis* scientificae liberare, adhibitâ ope intuitionis axiomaticae cuiusdam *Neo-Platonicae*, molirentur. Iam, qui in hac *critica*, Scepticorum, qualemcunque fidem respuentium, plena aetate, vbi omnia ad *vnicum* mere *formale* ac *logicum Iudicium Intelligentiae humanae* referebantur, *sobrie*, nihilominus quodammodo securi a telis venenatis dubitationis, per Academias Graeciae grassantis, philosophari sibi videbantur, ii certe *scientiae humanae* a Lockio et Humio pessime tractatam dignitatem vindicare et defendere studuerunt. Ita natus est ille insignis ad deformitatem puer, *lege XII.* cito necandus, *Criticismus psychologicus*, qui quum apud totius Europae gentes per multos adhuc dies in cunis vagiret, in Germania tamen cum *Rationalistis* nostris celeriter adoleuit, similique celeritate consenuit, a *Kantii* quidem profundo ingenio *Systematis* veste donatus, veste, inquam, satis scricta, sed Scholarum institutioni scientificae commode applicandâ, cum *philosophia* a discipulis Platonis iam in artis disciplinam redacta, in *tribus* videlicet *formis* essentialibus, mirum in modum concordante. Vniuersus orbis *verae cognitionis* humanae in tres regiones, in *dialecticam*, siue *logicen*, in *physico-mathematicam*, h. e. *quasi metaphysicam*, denique in *practicam*, h. e. *quasi moralem* diuisus ac descriptus, omnes *veritatis titulos* magnificos complectitur, quo in imaginario formarum regno omnia *vera* sunt, nisi ad ipsissimum *fontem* huius cognitionis incertum respicias, qui vtrum cum nobis a priori ac pure sit natus, an fortuito a *posteriori* exstiterit, vtrum nos ex eo necessitate quadam imperii coacti haureamus, an precario, non aliter ambigitur, atque olim in ipsorum Stoicorum scholis. Quanquam enim *Critici* nostri gloriarentur, se certos ac quietos terminos *Intelligentiae* et *Scientiae* humanae ad amussim definiuisse: tamen vix satis perspexerunt, se *Verum* ab *ipso rerum vniuerso*, ad modum Arcesilae, plane sustulisse, quippe qui illam *rerum per se cogitandarum* notitiam cum *obiectis* quibusdam etiam phaenomenis, *continuâ* tamen sub eâdem forma apparentibus, videlicet in *conscientia* hominis mere psychologice explicandâ, non desinerent confundere. Itaque, vt *Dualismum metaphysicum* et *rationalem* a Cartesio, et Leibnizio vsque ad nos pertinentem euitarent, necessitate systematicae demonstrationis trahente, a *transcendentali* Idealismo mere *formali*, sed *hypothetice* tantum scientifico atque *dualistico* redeuntes, vel in *Idealismum realem*, metaphysicum, absolutum, *Egoismi Cartesiani Fichtiani*, vel in ipsum *philosophiae* naturalis *Spinozisticae Formalismum Absolutum* atque infinitum praecipites inciderunt, nisi mallent, purum putum Empirismum scepticum et Academicum aperte confiteri omnemque *veritatis alicuius materialis* probationem, hominibus relinquendam, a quibusdam physicorum hypothesibus ad explicanda sola externa mundi phae-

nomena aptioribus exspectare. At rusticus exspectat, dum amnis defluat. Interea omnis grauior et sanctior, quae inter homines constet, persuasio de vlla quadam explorata aeterna veritate cauillationibus Sophistarum permittitur, nihil in omni philosophando profitentium, praeter indefinitam quandam liberrimamque artem cogitationes nectendi et ordinandi, aut *dialecticam* quandam, decreta philosophorum sibi mutuo opposita ingeniose coniungentem, sine vllo tamen *veritatis* fundamento, quod *formas* mentis, mere *negatiuas* et *ideales* infinita vi quadam *categoricâ*, absolute positiuâ, colligat atque adstringat, *vi* quadam dico necessariâ, *Intelligentiae* humanae licentiam, non amplius in rebus philosophicis tolerandam, penitus cogente. Ne enim vnquam *Formalistae* nostri a Kantiana disciplina profecti sibi persuadeant, se e naufragio illo *Philosophiae scientificae*, ceterum haud deplorando, *vllam veritatem*, humanâ naturâ dignam, saluam abstulisse, nimirum vago et populari ac ciuili sermone opem ac fidem *conscientiae humanae* implorando, et cum Stoicis, atheisque exterarum nationum, ad leges virtutis absolute imperantes prouocando, in quibus *vocem diuinam* agnoscerent. Ita caute et prudenter sibi semper visi fuerunt scopulos *absolute Infiniti*, quibus Pantheistae et Mystici manifesto adhaeserant, praeternauigasse. Scilicet, Ulyssis exemplo aures clauserunt huic cantui Speculationis Sireneo. At pro dolor! vocabula *Absoluti*, *Aeterni*, *Infiniti* etiam aures clausas et *calle* obductas *Criticismi Psychologici* penetrarunt, quoniam etiam in hac schola *Philosophia religionis* dicitur scientia, quae mentem humanam contempletur, iuxta *legis* normam agentem, versus ignotum quoddam *Infinitum*, *Aeternum*, extra et supra sensuum cancellos habitans directam (*Richtung der gesetzmässigen vorzüglich praktischen Thätigkeit des Geistes auf das Uebersinnnliche, Unendliche, Ewige u. s. w.*). Iam Kantius Somnia Stoicorum de *republica quadam infinita* naturarum moralium repetierat, atque *Fichtius* iure suo nos docuit, omnia ad aeternum *ordinem* quendam *legitimum* siue *moralem* (*sittliche Weltordnung*) esse reuocanda. Nulla igitur caussa fuit *Criticis* nostris, *sobriam*, *dilucidam* et prudentem meditationem commendantibus, affectantibus et simulantibus, quamobrem in fine disputationis ab auctoritate Stoicorum et Spinozistarum, omnique *Pantheismo realistico* discederent. Ordo Mundi *moralis*, quod Stoici et Spinozistae egregie viderunt, necescario aut iam complectitur, aut simul ponit ordinem *Existentiae* vniuersae, seriem necessariam rerum, diuinarum, naturalium et humanarum. Ne tantillum igitur distat *Philosophia moralis* Criticorum a Stoicis, pantheistis, a Benedicto ipso. Fata philosophica, pro dolor, ad *Pantheismum* cunctas has scholas trahunt, et quod omnium est pessimum, ad *Spinozismum*, qui, vt supra vidimus, Pantheismus mere *formalis* est, a *sola Intelligentia* humana philosophante informatus, igitur reuera absurdus, praeterea omnibus Scepticorum Empiricorum telis patens et aperte expositus. Quî enim cogitari potest *ordo* mundi continuus, sine quadam necessaria, essentiali *substantia*? Quo porro iure hic ordo *continuus* etiam *infinitus* dici potest, quod ipse Spinoza vidit, sine substantia aeterna, e cuius naturâ per se aut necessariâ aut quodammodo libera hic ordo infinitus emanet? Ergo haud iniuria iam Lockius et Empiricorum nonnulli, emunctae naris, de omni hac idea *infiniti*, a Pantheistis in philosophiam inuecta dubitarunt tanquam ex sola cogitatione subiectiua et consuetudine hominis oriunda.

Nam psychologica animi contemplatio nihil docet praeter nexum quendam nulla ex parte *definitum*, inter *subiectum* cogitans, et externas, conscientiae nostrae obiectas res intercedentem, et in hac *copula* logica, cuius ope *Id*, quod cogitat se tanquam *subiectum* permanens cum *praedicatis* externis coniungit frustra et Idealistae logici Fichtiani et ipsius philosophiae naturalis asseclae aliquid *absoluti* quaesiuerunt, deo, vera ac sola conscientiae infinitae basi, neglecto! Quidquid igitur vnquam *Athei* Francogalliae de *natura naturante sine initio et fine* somniarunt, omne id facili negotio a Scepticis psychologicis ex mera illusione quadam psychologica explicari potuisset, accedente vulgari errore *intelligentiae* humanae, quo seducti nos *indefinitam* rem pro re quadam absolute *infinita* habere solemus, scilicet vnde nata sunt ista *duo spectra* horrenda, sed inania, quae speculationem atheorum metaphysicam nullo non tempore, specie *Nihilismi*, terruerunt, *Spatium et Tempus*, ista mathematicorum figmenta tanquam *absolute necessaria*, ista *quasi Entia* non tantum immensa, sed *aeterna*, ista Idola, quae iam a Graecia mythologica, *Realismo materialistico*, tanquam glebae adscriptâ, minus pro deorum incunabilis, quam pro prima et suprema *deitate* ipsa habebantur et colebantur. In libris, quos de Deo scripsimus, illos Errores *Intellectus humani* explicatius tractauimus, in quos vulgaris philosophia hominum, de *aeternitate*, de *Infinito*, de *Spatio* et *Tempore* disputantium propterea necessario incurrit, quia has *notiones* in re ipsa separet, *vtrique* harum singularum notionum per se *Absoluti* naturam adiungens, quum reuera quaelibet earum *dimidiata* modo sit species *aeternitatis*. Ita omnis *Materialismus* et *Atheismus*, qui ex mysteriis Astronomorum, Mathematicorum et Physicorum in vulgus, his eruditis, quando philosophantur, stupidam fidem adiungens, emanauit, ex vulgari cogitandi ratione exortus est, propter quam *Spatio absoluta* Extensionis *Vbiquitas*, *Tempori* autem absoluta Durationis *Perpetuitas* tribuitur, quum, si has vnquam *formas* ab *essentia absolutae Existentiae* separare licet, quae reapse coniunctae, *Aeternitatis speciem* repraesentant, vt sibi nimirum mutua vice supplemento sint, omnia ex opposito contraria locum obtineant. Etenim reuera *Tempori*, si in *forma sucsessionis*, nullo mensurae relatiuae respecta habito, ponitur, aequalis *Vbiquitas* in omnibus spatiis, *Spatio* contra, si in *extensionis forma* ponitur, *Perpetuitas* aequalis per omnia Tempora est tribuenda. At *neutrum*, neque *Spatium*, nec *Tempus*, *absolute* necessarium est, verum *Absoluti* Species, forma atque imago dimidiata. Quod in calce Philosophiae suae naturalis de deo disputans acute ipse *Neutonus* vidit, qui *solus* inter *Mathematicos* et *Astronomos*, vulgo de *scientia* sua mere hypothetica, tanquam *absolute necessaria*, aeternâque gloriantes, nomen *Philosophi* meretur. Forte in eo interdum peccauit, quod *Spatium* et *Tempus Sensoria Dei* appellaret, his verbis ad diuinam *naturam naturantem* Spinozae quodammodo relapsus, — et ad errorem Keppleri, quamvis egregii etiam Theologi, qui nimirum *voluntatem liberam* dei supremi et omnipotentis, *veritati* mathematicae, iuxta, ac si *absoluta* esset, et geometricis constructionibus ad mera corpora pertinentibus, satis lepide subiungeret. In vniuersum tamen apud Neutonum Deus est *αὐτοκράτωρ*, hominum religiosorum *dominus*, *libera* voluntate agens, nullaque ex parte fatis *naturae* suae interioris deuinctus, nullis legibus, quas sola scientia humana vanaque humani *Intellectus* fragilitas summo numini putat

esse praescribendas. Profecto etiam *Idealismus transcendentalis* Kantii, quum *spatium* et *tempus* ad meras *formas subiectiuas* cognitionis humanae referret, spem fecerat, nos ipsumque deum omnipotentem tandem aliquando e vinculis *naturae* suae *naturantis* melius soluendi, quam Spinozae ipsi contigerat, quamvis puro atque sincero studio hac in caussa allaboranti. Sed quemadmodum *Intellectus*, in Benedicto *religionem* vicerat, sic Kantium quoque, solis *scientiae* commodis inseruientem, impediuit, quo minus *supremi numinis maiestatem*, quippe quae vna ac sola, in hoc mundi ordine, ad arripiendam diuinam similitudinem, constituto, conscientiae religiosae omnium hominum, contemplantium et agentium fundamento esse potest, totaque in *proprio absolutae voluntatis motu*, nulla aeterna necessitate formae cuiusdam quasi a priori, adstrictae, sita est, quare ea *maiestas* diuina in sacris codicibus *gratia*, *amor*, et *beatitudo* (*χαρις*, *ἀγαπη*, *δοξη του μακαριου ϑεοῦ*) appellatur, et per totam seculorum numeris humanis numerandorum seriem *personae faciem* (*προσωπον*) sanctissimam, pietati humanae colendam et imitandam, constanter offert, ne dicam a vilissimis telis Atheismi logici, physici, moralis, et politici defenderet, modo vsquam agnosceret, in omni ieiuna sua et inani praeceptorum moralium expositione, ab *honesto illo* Marcii Tullii profecta nobisque frustra pro *absoluto* et categorico *Imperio* in scholis venditâ. *Vixtrix* caussa igitur, quae coram tribunali critico *Idealismi transcendentalis psychologici*, in seculi nostri decursu, hucusque agebatur, omnis ad *Intelligentiam humanam* triumphantem pertinuit, scilicet . . . . quod priuilegium Fridericus Jacobi in literis ad Fichtium datis, multo citius fortasse quam par erat, *scientiae humanae* concesserat, ... ne circuli mathematicorum, Astronomorum, Physicorum (*des sciences exactes*, vt Francogalli loquuntur), quin etiam ordo *ciuilis*, a *Politicis* nostris *diplomaticis tam* sapienter institutus, non amplius ab illo molesto et pernicioso conceptu Dei, vi aeterna religionis in perpetuum definito, turbarentur. *Victa* autem caussa omni *verae Theologiae*, quam vtrum *naturalem* an *positiuam* appelles, hoc loco nil interest, deploranda nunc relinquitur. Quod sane deplorandum Theologiae scientificae siue dogmaticae naufragium plane non de sola dialectica refutatione Existentiae diuinae, argumentationibus metaphysicis fulciendae, a Kantio haud inepte immo feliciter peracta est intelligendum. Qua quidem in re semper celebranda erit viri subtilitas, etsi profecto melius nobiscum hodie ageretur, si vir subtilissimus, cuius audacia per Voltarii et Friderici aetatem increuerat, fontes quoque erroris istius Scholastici mere logici et methodologici indagasset. Verum enim vero de ipsius Substantiae diuinae, *personam* in mundo induentis *conceptu*, a *ratione* humana recte ac pie informando, sermo est, quem conceptum *ethicotheologicis* suis rationibus Kantiana philosophia ita deformauit, vt pro penitus sublato et extincto habendus sit, quod in cunctis libris nostris ad religionem pertinentibus, quin etiam in tertio et quarto nostro *de virtutibus* cardinalibus (a. 1820 et 1828) non sine assensu iudicum grauissimorum, ita demonstrauimus, vt ostenderemus, Theologiam gentilem Neoplatonicam de virtute philosophantem hac in re Theologiâ Germanica, in ipsa republica Christiana natâ multo esse praestantiorem. Sic nescio quo artificio dialectico satis callido, Sophistisque Atheniensibus haud indigno factum est, vt Genius Seculi in opinione publica formanda duas sententias in vnum conflaret et confunderet toto coelo diuersas, vnam, veram quidem nec ratione

recta hominis indignam, neque ab vllo hominum religiosorum iam in remotissima antiquitate vnquam negatam, alteram falsam, omnique, si qua est, indole religiosâ hominis penitus indignam, ad quam posteriorem plane futilem vis veritatis in *priore sententia* sita sensim videtur esse translata.

Iam quod ad *priorem* sententiam attinet, quam arcem dico non expugnabilem, patres Ecclesiae ipsi vno ore sibi consonant et cum vetustissimis iam Philosophis in hoc affirmando concordant, Intellectui humano, naturam cuiuslibet rei cognitione caussarum penetrare atque explicatione notarum essentialium definire gestienti ad *patrem mundi* tamen *inueniendum*, vt verbis Platonicis vtamur, nullam patere viam, et si qua vnquam pateret, non stratam, immo asperrimam, difficillimam. Deum in luce habitare, ad quam nullus homini, sola naturali cognitione et intelligentia vtenti, sit accessus, etiam Sacra Poesis significat. Est igitur ipsa illa vis constans diuinae essentiae, *absolute libera* in qua omne principium et quietis et motus a conscientia religiosa non quidem ponitur, immo sine omni ratiocinationis ope, impulsu sensuque interno voluntatis religiosae (vide Commentat. V.) percipitur, primo *supernaturalis* h. e nullâ *naturâ naturante Spinozistica* deuincta, neque vlli *fatali* ordini subiecta, secundo autem loco *suprarationalis* quoque, ita vt nullis etiam *formis* cogitandi, contemplandi et agendi logicis et moralibus adstringatur. Omnes hae *formae*, quibus sola voluntas et cogitatio hominis *discursiua*, quam vocant, sine *non intuitiua*, regitur, a sola temeritate puerili philosophica pro *absolute necessariis* habentur et venduntur. Quocirca ipsae Scripturae verbis, a nullo *Rationalistarum* et Doctorum Philologiae Sacrae delendis vnquam et radendis . . . quantumvis vellent! . . . affirmant, *pacem* esse *diuinam*, omni *humana ratione altiorem*. Id autem dictum mysticum Philosophi *Rationalistae nostri*, scilicet omnem vim veritatis absolute cogentis in solis *formis intelligentiae* et scientiae quaerentes nunquam appercipere, concipere, attingere et concoquere poterunt, sed pro viribus impudentiae suae negabunt, facientque ita in omne aeuum *intelligendo*, *vt* nil *intelligant*. Itaque *rectam rationem* a nobis in *noua Analysi* l. c. ad modum humanae naturae definitam, quae videlicet ad solam conscientiam *humanam*-moderandam est comparata, cum omni plebecula *ipsius dei* loco colunt, atque maiestatem diuinam, absolute liberam, legibus sapientiae et iustitiae ab humano ingenio excogitatis, simili modo adstringunt, quo in monarchiis, quas *limitatas* Politici appellant, principes, communi iustitiae et sapientiae lege semet ipsos adstrictos haud iniuria sentiunt. Qua in caussa neque perpendunt *Rationalistae* nostri neque vident, id quod in rebus humanis sit valde laudabile, in diuinis rebus nos denuo ad *Pantheismum* illum Stoicorum, reiicere, quem diuina Religionis christianae ope vix effugimus, quum istum, humanae superbiae gratum et conuenientem errorem ipsi iam *Neoplatonici* teste Iamblichio respuerent, deorum beatam naturam a qualibet *necessitate* fati liberantes. Quid autem *fati aeterni*, *vltradiuini* similius, quam illa lex *moralis* Kantiana *autonomica*, *absolute* categorica, nobiscum nescio quo casu nata, ad iustitiam solam in formâ actionum, vix ad sapientiam, *nusquam* ad veram vitam pertinens, e libris Panaetii et Marcii Tullii de officiis hausta et recocta? Hominibus honestatis sensu non carentibus sane venerabilis talis lex rationis practicae videri poterit, sed pace omnis probitatis et honestatis dixerim tamen *viuâ voluntate* lex illa caret, nempe *personae* aeternae dignitate

et maiestate; quippe quum a nullo legislatore libero motu proficiscatur, verum iubente absoluto fatali ordine, diuinae humanaeque naturae, aequali modo sit inserta atque impressa. Quomodo porro hi philosophi *Formalistae* sibi persuadere potuerunt, ex hac lege vllum verae non simulatae religionis sensum exprimi posse, scilicet „*aquam* ex pumice?“ Formula legis perpetuis quasi literis, cuilibet naturae ratione praeditae, inscripta, praescripta, tanquam sanctum carmen, per omne aeuum legitur, vti iam a Stoicis, a Marco Tullio, a Seneca philosopho et a Paullo Apostolo legebatur. Sed nihil illa vox *diuina naturalis*, quam vocant, praeter intelligentiae quandam constantiam mere negatiuam, prohibentem, castigantem, proprie neque vult, neque promouet. Scilicet deum aliquem pietas hominum, fidem eius et misericordiam implorando, fortasse expergefacere posset, etiam dormientem. Illa autem aeterna lex, etiamsi semper loqui dicatur, ne dormire quidem existimanda est, sed omni vitae diuinae halitu carens, nunquam revera vixisse, nisi vitam appellare velis hanc in *Pantheismo formali* Stoicorum existentiam, vitae vacuam. Vix igitur mirandum, quid sit quod pars *Philosophorum* et Theologorum, qui in Germania praeceptis scholarum philosophicarum abundant, iam pridem ab illo *Quasi Deo rectae rationis*, e legibus moralibus, physico-mathematicis, quin etiam dialecticis composito, faciem doctissimam sed miserrime laceratam ostendente, ad *naturam absolutam naturantem*, certe sub facie Iouis, in Spinozismo apparentem redierit. Atque id quidem haud iniuria. — Num enim illa *ratio* humana, iustitiam et sapientiam aliquam logicam, nescio qua diuina voce adiuta, *autonomice* nihilominus dictitans regina est, *digiti* forte longitudinem maior et sublimior illâ rerum naturâ creatrice sine naturante, quae in Spinozismo habitat? Credo, quia illa ratio solas *formas mentis cogitantis* proclamet, haec *natura formas* magis corporum! At caussam nullam video, cur res corporeae ab hominibus viuam dei veritatem negligentibus atque ignorantibus, *mentis* figmentis mere scientificis, vitae vacuis, postponatur. *Natura naturans pantheistica* certe *corpora produxisse* existimatur. Sed *ratio* illa *moralis* Idealismi transcendentalis, aeque *pantheistica*, ne Kantio quidem iudice, in annalibus mundi, *honestatis* principio aliquem principatum assignare valuit. Et quod ad diuinam logicam attinet, legemque cogitandi, recte quaeritur, a quanam absurda sententia celeberrimos philosophos in scholis disputantes ea vnquam cohibuerit? Quum igitur in omni *Philosophia* Seculi tam *morali*, quam *naturali*, aequaliter *pantheistica, ordo mundi naturalis* et *moralis*, iam pridem instar *dei* ipsius esset, omnes autem humanae *Intelligentiae* asseclae et Formalistae, non sine Pharisaeorum malitia, *Sensum*, impetum et impulsum *religiosum*, a traditione historica, Sacris christianis verboque diuino in animis excitatum, nusquam a perniciosi cuiusdam Mysticismi ignominiâ separare *nollent*, ex *priori illâ* omnibus modis probatâ *sententiâ*, de interiore *dei essentia*, a nulla intellectus humani cognitione comprehendenda, cuius supra mentionem iniecimus, vt religionis *vim cogentem* non in *verbis logicis* sed in *sensu* et *voluntate* sitam esse ostenderemus, *altera* quaedam sententia posterior sensim nata est, et *opinione* quasi *publicâ Seculi* nutrita, videlicet, Intellectum humanum omni penitus conceptu religioso dei ita carere, vt quolibet etiam labore ille supersedere possit, deum in praeceptis religionis vllo modo definiendi eiusque substantiam, maiestatem personamque agnoscendi! Peruersa igitur ratioci-

nationis conclusio fere vbique obtinuit, sic se habens, ac si *Intellectus humanus*, quippe qui *essentiam dei interiorem*, *supranaturalem* et *suprarationalem*, ad normam legum, neque metaphysicarum, neque physicarum, neque idealisticarum et moralium humanae rationis explicare nullo modo valeat, *iure suo* etiam talem deum absconditum plane ignorare deberet, quasi ens mere *ignotum*, omni facie et personae dignitate carens, *virtuti* humanae, *libere* exercendae, vt ipse Kantius sincere fatetur, magis impedimento, quam adiumento, multoque minus fundamento existens. Quocirca multi etiam concionatores in scriptis ac templis christianis more Academico philosophantes et disputantes non de *Deo*, sed de solo quodam *diuino Infinito* loquuntur, de *ideis diuinis*, veri, boni, quin etiam pulcri, quarum fons et fundamentum sit *Ratio humana aeterna* et immortalis (*als Trägerin der ewigen Ideeen*) cuius igitur Apotheosin siue ἀποκολοκυντωσιν, et Gallia liberaliter bellatrix atque triumphans, et Germania liberaliter theologa atque philosopha, aequali studio in templis iam pridem vnanimi consensu celebrarunt. Mira sane huius inquam ratiocinationis conclusio, Intelligentiam siue Sapientiam humanam, propterea quod in philosophando culpâ suâ naturam dei pro natura naturante rerum et pro recta *ratione* in hominibus vix habitante semper habuerit, ea etiam hanc ob caussam alios conscientiae humanae fontes nullos reperire potuisse, ex quibus puriorem conceptum dei hauriret, a se nimirum, officii cuiusdam necessitate cogente, informandum. Quasi deus, qui in sacris Voluminibus *Amor* dicitur, propter hunc ipsum *amorem* erga humanum genus, in creatione et longa mundi administratione explicatum, laboriosos *Sapientiae* humanae commentarios, ridiculas Graecorum philosophorum de sapientia et virtute et summo bono altercationes exspectaturus sit, dum tandem aliquando aliquid de rebus vere diuinis humano generi, more *Graecae* subtilitatis philosophanti, innotescat! Nempe quod *Sapientes* virosque doctissimos huius mundi, et Pharisaeos, hominem rudi indegestaque mole placitorum et praeceptorum obruentes, vniuersamque humanam Intelligentiam, artificiosa cogitatione superbientem in omne aeuum sempiternum latuit et latebit, id, ipso Christo monente, soli *simplicitati animorum religiosorum* est *reuelatum*. Igitur, quum hic et talis *Formalismus*, omni *purâ* summi numinis *notitiâ* ex contemplatione mundi, ex historia religionum et ex conscientia uniuscuiusque religiosi hominis hauriendâ carens, vbique in Ecclesia Christiana dominetur, non potuit non *Genium Seculi* ab omni sincero et intimo religionis sensu, a vera religiosa voluntate auertere. Quocirca theologi nostri nullâ aliâ de re vnquam rixantur et inter se digladiantur, nisi de *formis externis* et fidem docendi, et sacra administrandi, et in ecclesia dominandi, scilicet de solis *formis* regni *diuini*, *quod*, si unquam in hac absurda, ceterum doctissima faece humana veniret, vt Christus ait, sine omni *forma* ac facie, magnifica, sine quolibet vultu exteriore in orbe terrarum esset venturum!

Quemadmodum in *Philosophia Seculi* adumbrandâ res et propositi ratio postulabat, innumerabilia philosophorum placita atque decreta secundi ordinis minorisque momenti praetermittere, quorum inutili, in meris sesquipedalibus verbis systematicis sitâ discrepantiâ, scholae nostrae, sophistis repletae, totam dignitatem et auctoritatem scientiae philosophicae, ipsumque philosophandi studium . . . . volo *sincerum* illud, quod de *veritate* cuiuslibet *persuasionis*, in *conscientia* humana,

scientificas formas superantis, quaerit . . . . . profligarunt et perdiderunt: sic nunc, quum ad *Theologiam* Seculi *delineandam* accedimus, quae in eadem quasi acie cum Philosophia hodierna socia eius ac sorore fidelissima, eidem atque illa vano *Intelligentiae scientificae Formalismo* et *Nihilismo* succubuit, missas hoc loco faciamus omnes singulas altercationes, alias suo loco grauissimas, Theologorum nostrorum, de singulis fidei articulis, solo intellectu adhibito definiendis, siue ordinandis, et ex historiae sacrae voluminibus enucleandis, quorum formulâ *partes religiosae* in Ecclesia Christiana natae, a se separari solent. Hae, partium ecclesiasticarum digladiantium aliaeque similes internae magis longe inferioris generis dissensiones, discordiae, inimicitiae, quas Interpretes Codicis sacri, literis vitae diuinae vacuis apud nos inprimis tanquam glebae adscripti, non sine bellico apparatu stupendae grammaticae et archaeologicae eruditionis, authentica ab apocryphis, historica fabulis, credo, ad *fidem* formandam et illuminandam, seiungendis, inter semet ipsos exercent, plurimum profecto contulerunt, vt omnis Summe Reuerenda *Dogmatica* Theologorum, quod autem paulo acerbius videri possit, ipsa etiam doctrina religionis methodo scientificâ *intellectui humano* accomodanda et applicanda, ab *opinione publica Seculi* nouissimâ in vnum atque eundem cum Amplissima Philosophia systematicâ siue Academica puteum negligentiae ac contemptus abiiceretur. In libro, quem populari sermone de Statu *polemico ecclesiae* conscripsimus, *Indifferentismum religiosum Seculi*, qui omnes de *formis diuersis religionum* puriori disciplinae accomodandis disquisitiones pro obsoletis et antiquatis habeat, notauimus, eumque in iudicium vocandum esse demonstrauimus. Simul autem ostendimus, hunc Indifferentismum a Lessingii potissimum temporibus maxima incrementa, ipsorum vitio Theologorum *Formalistarum* cepisse, qui vna ex parte simplicem *fidem historicam mortuam*, vt a Melanchthone profectis verbis vtamur, non sine crassae superstitionis, in verba et literas iurantis pertinaciâ, quam Lutherus nunquam approbasset, defenderent, altera ex parte errores Lessingii cupide amplecterentur, quippe quem non viderent, magnis passibus ad *Deismum* properare recentiorem, ex scientificis, mere formalibus, negatiuis que notionibus rationis Spinozisticae vagaeque doctrinae morum, miro modo compositum. Praetereamus igitur hoc loco fatisque siue suis priuatis, siue diuinis relinquamus illam *Dogmaticam polemicam Theologorum*, de quâ, *Intelligentia Seculi* mere ciuilis et scientifica, virium diuinarum vacua, nunc temporis, ipsâ culpa hominum Formalistarum, ecclesiam moderantium, iustos ac meritos triumphos agit, non sine subtili et clandestina spe, miseris his Theologicae Eruditionis et scientiae ruinis ipsam illam *Veritatem religiosam vniuersae conscientiae* generis humani, sepeliendi, quam Iesus Christus in *propria sua persona* et *substantia sitam et reuelatam esse* dixerat. Hanc enim solam et vnicam, simul *idealem et historicam veritatem* Christianam, in decursu historiae sacrae sensim explicatam, *Intelligentia* ista *irreligiosa* et *formalistica* doctorum hominum, nil praeter *scientias* suas pro *diuis* habentium, inimicitiis grauissimis clandestinis et apertis omni tempore persequitur, quum callida arte graecâque subtilitate, *bonam voluntatem* et *sensum religiosi* animi, sine ope *ratiocinationis* et *formarum logicarum* agentem, sine Academiis et Lyceis Graeciae per ipsa *fata mysteriosa* sacrae historiae, manifestatam, propter quam *immortalis vates Florentinus*, Theologorum optimus,

a Rafaele Romae merito in *concilium patrum Ecclesiae* depictum receptus, *fidei Christianae vim axiomaticam positiuam* tribuerat, ab *hypothetica* illa et *formali* mathematicorum et logicorum *veritate* toto coelo differentem, pro *mero Mysticismo* habere non erubescant, a vesano quodam furore poëtico, ad summum Platonico, non in lucem sed in tenebras prolato. Huic inquam *Intelligentiae*, *soli* in *Seculo* dominanti, etiam maxima pars Theologorum manus dedisse seruiles, quis unquam negare poterit; quum illi non desinant, de *reuelatione mediata*, methodo scientifica *rationis* explicandâ, garrire, quae plane absurda est cogitatio, ne a Kantio quidem tenenda, qui in doctrina morum, vt in ethicotheologia Kantiana refutanda (de Virt. card. Comm. III.) ostendimus, *rationem moralem* a *sensu* quodam honestatis interno, categorico, axiomatico, *immediato*, separare nusquam potuit. Itaque convertamus nos potius ad *vnam*, *solam*, *simplicissimam quaestionem*, verbis Spinozae, *theologico-politicam* appellandam, Theologis nostris a Seculo ipso propositam, quippe quae *sola*, *mere practica* e numero rerum theologicarum, *Seculum nostrum*, cuius virtus in *sola actione* sita esse potest: dum ceteroquin in *Indifferentismum* illum *religiosum* inclinat, certe dogmaticum: exagitat et vehementius turbat. Haec quaestio, inquam, mere est *historica*, sed ad omnem Ecclesiam Christianam rebus ciuilibus accomodandam pertinet. Quaeritur enim de *statu regni diuini* in *republica ciuili*.

Bellis ciuilibus prisca aedificia institutorum publicorum, a medio aeuo non sine egregia sapientiâ pro temporum modulo exstructa, fere vbique in omnibus orbis terrarum angulis tam foede corruerunt, vt ea reficere, profecto, vti vulgo aiunt, esset operam et oleum perdere. Aetas *hominum* nunc *viuentium*, *vitaque socialis hodierna*, multis vtilissimis artibus ingeniose repertis, pro celeritate, omnipraesentem quasi cogitationum et actionum humanarum communionem praestans, tantis aucta est commodis et diuitiis, vt priscae illae *formae* institutorum grauissimorum, *opinioni publicae* plane contrariae, hunc nouum thesaurum amplius non capiant, igitur vt nullâ gens terrarum ad priscam quandam morum simplicitatem redire aut possit, aut velle redire existimanda sit. Quare supra iam caussam explicauimus, propter quam omnis illa sententia de *restaurandis formis antiquis*, a Genio seculi et a fato ipso diuino iam sit explosa. Apparet etiam, genium *seculi ipsius* non esse *seditiosum*, quanquam, eum factiones seditiosas in gremio suo, simul cum aliis factionibus *Formalistarum* perniciosis, alere, negari nequit. Apparet etiam, culpam violentarum *euersionum*, quas in terrae institutis deploramus, in toto inani *Formalismo*, inprimis in illo *genere hominum* esse quaerendam, qui nouis formis priscas recoctas certe adiungere student. Hi enim semper effecerunt, vt aedes institutorum publicorum, tam misere refectae, *onus solarum formarum*, minutissimarum, sibi repugnantium, omnemque vitae liberiorem sensum exstinguentium, non amplius sustinerent, et *sine omni vi publica* per se grauissimas darent ruinas. Quamobrem eatenus certe laudandus est *Genius Seculi*, quatenus simul cum ciuilibus formis, ecclesiastica etiam et scholastica instituta, remotis, a vi ciuili et publica natis periculis, reformare et emendare studet, in ipsa *Educatione*, *Institutione* et *Disciplina* publicâ *commune* ac *solum vinculum morum* et *legum* cum reuerentia quadam agnoscens. Iam vero *Lessingius* noster et ante eum alii quoque apud exteras gentes, de *religione Christiana* paullo

liberius philosophantes, in *sacra historia*, quam *reuelatam* vocant, *Educationem generis humani* agnouerunt, a *Deo* ipso, fata humana, paterno consilio, moderante proficiscentem. Hanc autem *diuinam Educationem*, ad vniuersum genus humanum pertinentem, gentes *paganae* penitus *ignorabant*. *Stoica* enim, ipsaque Marci Tullii philosophia ingenue fatetur, id quod etiam plerisque Philosophorum et Theologorum nostrorum placet, a diuino numine non esse precibus expetendam sapientiam, ad quam vi propria hominem assurgere oporteat, sola a diuino numine esse praemia et commoda vitae iustae et honestae exspectanda. Quocirca *Pagani* et *Gentiles* ab eo ipso nomen habent, quod a Diis suis, tanquam *geniis* tutelaribus *gentis*, mera patrocinia expetere solebant, quasi priuilegia, vni vel alteri *stirpi hominum* et *genti* largienda. In omni igitur Disciplina et Educatione publica, a principiis *non Christianis* proficiscente, sed a mera naturali intelligentia et *sapientia mortalium*; neque *voluntas dei* supremi, regnantis, neque *auctoritas*, *sapientia* et *amor patris coelestis*, totum humanum genus educantis, i. e. moribus ad similitudinem naturae diuinae formantis, *Fundamento* ponitur. Ad facultates corporis et animi in mera *natura* hominis *mortali* sitas, ad has solas, inquam, in *singulis* hominibus, non sine intellectu explicandas, et in vtilitatem reipublicae cuiusdam ciuilis, a stirpe quadam hominum singulari potentiore ordinatae, conuertendas tunc igitur redeunt omnia. E contrario *diuina* illa *Educatio hominum*, cuius *reuelata* vestigia ipse *Lessingius* in sanctae historiae voluminibus, quamuis veritatem literalem eorum saepe in dubium vocasset, reapse deprehendere sibi visus est, omnem auctoritatem a nomine et *paterna personā* summi numinis sibi sumere est existimanda, ad imitandas et participandas in vita hominum, terrestri et superiore, virtutes diuinas *exemplares* (de Virt. Card. Comm. IV.) non tantum, ad formandas modo, *arte politicā*, et intelligentiā atheistica, *Promethei* vice, statuas et machinas, animatas quidem sed perituras, comparata. Iam historia quidem sacra, cuius *veritas* pro parte ex ipsa hominum existentiā, ritu Iudaeorum et Christianorum educatorum elucet, quemadmodum alio loco ostendimus (*Gott in d. Geschichte S.* 214 *ff.*) vniuersam *Oeconomiam prouidentiae paternae* in fatis gentium praeteritis et futuris, ad educandum et, quantum fieri potest, perficiendum *humanum genus* pertinentem explicat; eoque respectu etiam ad *politicas* gentium vicissitudines refertur. At grauissima profecto pars historiae biblicae *historia religionis reuelatae* in specie vocatur. Etenim ille *modus deum more Christianorum colendi* h. e. *voluntatem Summi numinis*, paterna bonitate vniformique consilio res humanas dirigentem et adiuuantem, in vita priuata et publica hominum, aperto et solemni cultu, agnoscendi, paternaeque sapientiae praecepta et decreta diuinique amoris beneficia, per omnia elementa conscientiae humanae, reuelata et communicata percipiendi; qui hanc ob caussam *religio reuelata* in specie dicitur, tanquam soli *diuinae gratiae* in acceptum referenda, illa, inquam, *religio reuelata* manifesto etiam *Societatem* et communionem quandam hominum ponit, quae non rationibus *humanae* societatis, *humana prudentiā* regendis, sed *diuinae veritatis* vi, spiritu et afflatu coniungatur, et *perpetuā sacra traditione*, *per saecula hominum immutabili*, contineatur et continuetur. Hanc igitur humanam societatem *Ecclesiam Christi* gens Christiana appellat, quae, etsi vitio et culpa *Theologiae dogmaticae Christianae*, vanā *Intelligentiae humanae* superbiā, in rebus diui-

nis pernoscendis inflatae, multas in partes omnibus temporibus distracta atque disiecta, tamen vsque ad dies nostros salua peruenit. Sane grauissimus ille aduersarius *Veritatis*, in Ecclesia christiana, viua traditione agnitae et propagatae, *Intellectus humanus*, liberum arbitrium *ingenii* et *speculationis* toti *rerum vniuerso* anteponens, solisque scientiae *formis* psychologicis *excultus*, vim *religionis* quantumvis cogentem, nulla tamen methodo systematicâ efficiendam, spernens, et hoc commune veritatis humanae vinculum reformidans, subtilitatem suam formalem, inanem, viribus, a solius summi numinis sancta substantia accipiendis, carentem, per Graeciae Sophistas et Pantheistas, etiam ad Doctores Ecclesiae, in Scriptis et Conciliis polemicis disputantes transmisit, vt *magna Ecclesiae schismata* propter formulas fidei metaphysicas orirentur. *Diuide et Imperabis!* omni fuit tempore tyrannorum adagium. Quocirca *Intellectus irreligiosus*, ille mendax et malignus Spiritus, vim veritatis in conscientia humana sitam nisi euertens, certe *negans*, hominesque irreligiosos penitus possidens, a Christo ipso *princeps huius mundi* vocatur. Idem vero Christus iis, quibus *vis veri Dei*, *liberi* et *beati*, quae, vt Paulus monuit Apostolus, non in *verbis* humanis, neque in Theologorum vanâ eloquentiâ aut Hermeneuticâ sita est, innotuerat, solemniter spopondit, *Spiritum mundi* peruersum Ecclesiam, a Christo nomen habentem, nunquam esse euersurum, ipsamque hanc Ecclesiam, per longam seriem temporum diuisam, seductam, *pressam*, etiam in terris aliquando, *victricem* et *puram liberamque* a *statu* mundi *politico* esse euasuram. *Duplici* enim *fundamento* ea innixa est, altero *historico* ac plane *positiuo*, externo; altero interno, *ideali*, nempe conscientiâ hominis religiosa, Christi luce, exemplo, verbis immortalibus, vitae aeternae desiderium et sensum excitantibus, illuminatâ.

Primum historicum Ecclesiae fundamentum, quod *Theologi Formalistae*, in sola euenta exteriora et literas scriptas, seruili ac caeca fide, intenti, pessime semper explicarunt, nihilominus a Scepticis historicis frustra impugnatur. Quum enim illi Sceptici, non minus misere, quam Orthodoxi, in exterioribus *historiae sacrae*, coelum cum terris mystico sane sermone connectentis, formis symbolicis, ad modulum historiae profanae, mere realis et prosaicae, nusquam interpretandis, haereant: efficere non possunt, vt *historica fides* sublimior ex animis religiosorum hominum radicitus euellatur. Quis enim hominum, sincerâ religionis voluntate animatus, puroque vitae aeternae desiderio elatus, non cum sancto quodam horrore a mundi annalibus, *dei personam* ignorantibus, et a rebus gestis se auerteret, sanguine, vi et dolo repletis, in quibus plane nulla *prouidentiae vniuersalis* et *specialis*, humanam fragilitatem educantis et adiuuantis, reperirentur et elucescerent vestigia, vbi ille deus, cuius voluntatem colit, quamvis potentissimus, nullum tamen documentum amoris paterni, admonendo, publice imperando, suscurrendo hominibus, ad imaginem suam procreatis dedisset? vbi nulla vox dei audiretur, nisi illa a *tribus Impostoribus mundi* aliisque innumeris mere politicis religiosarum *ceremoniarum* inuentoribus et auctoribus emissa? Quis in solo Tacito et Thucydide, aliisque de *morali* natura hominum *desperantibus* historiographis, in historia Philosophiae Gentilis, vbi omnis veritatis membra disiecta colliguntur, vllam spem dignitatis, diuinitatis, beatitatis humanae praesentis et futurae quaereret, in vita et ipso mortis articulo conseruandam? E contrario annales mundi vniuersi, quibus Ecclesia Christi innititur, non solam Nemesin, seu obscuras quasdam leges iustitiae, magis huma-

nae, quam diuinae, sed ipsam perpetuam Dei de salute animorum bonam voluntatem et curam in excitanda et firmanda puriore religione explicant. Negari igitur nequit, religiosam fidem iam in incunabilis generis humani ab hominibus perditam ac proditam, in patriarchis naturali quadam et viua simplicitate resurrexisse, deinceps Mosaicam theocratiam, cum diuinatione coniunctam, et Poesin sublimem Prophetarum sensim ideam dei, in terris, religiosae doctrinae vi *regnantis*, ab vna gente, omnium gentium odio et contemtu oneratâ, omnibus gentibus communicandam, arte tam miraculosa cum ipsâ vitâ ciuili et populari Ebraeorum conflasse, vt Christus, puro religionis sensu a tenerrima aetate repletus, fatorum signis vocantibus et annuentibus in ipsa lege diuina annuntiatum esse aduentum suum, persuasus, de *voluntate* et decreto *summi* numinis nullus dubitare potuerit, quin *regnum veritatis diuinae*, quod sub sola *forma* quasi *legitima* et ciuili iam exstabat, sed non nisi simulatione hominum agnoscebatur, *re ipsa*, tanquam actu nunc praesens proclamaret, auspicaretur et inciperet, solâ adhibitâ auctoritate vocis diuinae, nunquam prius tanta cum vi cogente auditae, diuinâque animi tranquillitate, in aspectu potestatis militaris et ciuilis, sine metu vanae insolentiae doctorum hominum vulgique, omnia prauâ et pigra consuetudine vitaeque animalis commoditate metientis, quamobrem ipsa caeca, a nouo propheta adiuta faex hominum pacem diuinam appropinquantem sentiret, deumque cum humana natura coniunctum et amorem diuinum non ad vana somnia esse referendum sibi persuadens. Deinde non potest negari ab vllo critices historicae perito, Christum *fata* laetiora et tristiora *regni diuini*, quod ab exiguis initiis inceperat, sic praedixisse, vti post longam seculorum seriem euenerunt, quum sine *formali* praescientia, qualem plebs hominum superstitiosa pro *diuinatione* habet, sciret, se agitante *deo* calescere, eiusque consilio et adiumento ordinem mundi mutatum iri. Non potest porro negari, Paullum Apostolum, haud immemorem priscae dignitatis Theocratiae Iudaicae, a Romanis tamen, more omnium caecorum hominum politicorum, spretae, cuius instantes iam in terra sancta ruinas videret, voce, siue interna, siue externa, semper miraculosâ Christi vocante, sublimiorem suam Theologiam, Sententiam de *viuo* ac *vero* dei, puràque et viua religione, quam nulla *philosophia* gentilium siue Stoica siue Pythagorica, siue pantheistica, siue moralis, vitâ religiosâ carens, attingere potuerat, conceptam, per omnes terras paganorum docendo et narrando propagasse. Denique haec *res facti* a nemine negari potest, Ecclesiam Christi subito ex contemtu gentium et obscuritate ingloriâ emergentem, maximam Monarchiam mundi, Pantheon deorum gentilium, priscam superbiam morum Romanorum, artes et elegantiam Graeciae totumque fere ambitum Imperii, simplicissimâ sua doctrina debellasse, deinceps innumerabilem multitudinem aduenarum barbarorum vicisse et sub iugum Christianae humilitatis misisse, qui repentino motu, ex omnibus terrarum angulis ei occurrerent, quasi solo illo consilio, vt *formam* certe ac faciem ab ipsis deuictis populis Christianam acciperent. Ex quibus omnibus *historicis* documentis et argumentis *summa veritatis historicae* haec et talis colligitur, post Romani populi interitum reuera *vnam* solam gentem sub vniformi legis alicuius imperio viuentem, superstitem fuisse, nimirum *gentem Christianam*, in noua quadam theocratiâ ad similitudinem Mosaicae institutâ h. e. in Ecclesia Christiana natam et educatam, populosque, antiquitatis non solum, sed etiam illos in magna gentium migratione et

medio aeuo conspicuos, variis modis nomina, reipublicae formas, patriam, ciuitatem rerumque gestarum memoriam amisisse et perdidisse, quum *sola Christiana Ecclesia*, *traditione perpetuâ* de *viuo et regnante Deo* coniuncta, sit superstes. Valde corruptam hanc Theocratiam esse quis non videt et simul caussas, quum iam ex Constantini M. temporibus, senescentis et paene iam mortui corporis reipublicae Romanae membra disiecta, praeterea tot gentium diuersarum mores barbaros in gremium formae suae socialis receperit. Propterea tamen nemo, qui solem e coelo tollere nollet, ipsam *Existentiam Ecclesiae viuam*, etsi morbis affectae grauissimis, non agnosceret, aut putaret, eam traditione sanctâque historia vsque ad nos traductam et continuatam, *fundamento* experientiae *historicae* carere, quum Ecclesia haec longius certe vixerit, quam omnes ciuitates et gentes illustriores antiquitatis; quin etiam longius, quam regna atque Imperia historiae recentioris, non excepto Imperio Romano-Germanico. *Vniones* populorum medii aeui propriam *legitimam* existentiam paene vsque ad nomina perdiderunt. Regna omnia, post Carolum M. stabilita, a nulla amplius *stirpis* cuiusdam *familiari necessitudine* profecta, territoria occupant, variis casibus Martis, semper ambigui, fortunaeque lusibus definita, et a mira colluuie hominum diuersissimi generis, si ad religionis ceremonias, linguam, dialectum respicias, habitata. Etiamsi igitur Christianam Ecclesiam pro mera *forma* quadam et lege *externa* religiosa habeamus, ab *historia sacra* Ebraeorum et Christianorum profecta, cui mores plurimorum populorum cultiorum sint accomodandi, vel nullo etiam respectu naturae hominis religiosae et moralis, conscientiâ intimâ explicandae, habito, haec *generalis* tamen *forma* cunctas reliquas formas *sociales* minores *omnesque ciuitates hodiernas* antecedit. *Sola* enim, si ad *historicum* eius fundamentum respicitur, quod ab incunabilis mundi vsque ad nouissimum diem pertinet, omnesque populos cultiores orbis quodammodo coniungit, pro *diuina* et *immortali* habenda est, a qua reliquae praetereuntes et caducae *auctoritatem* accipiant. Igitur, vt experientia mere historica docet, fata, dei voluntatem obseruantia, ad Sponsionem solemnem, a Christo amicis suis factam, respexerunt, omnesque innumerabiles Sectas siue societates theophilantropicas et philalethicas, et Simonisticas exploserunt, quae simiarum more, auctoritatem et formam Ecclesiae christianae imitari studerent. Idem dicendum de Indo-Germania nostra iuniore, ad religionem quercuum, quas *Bonifacius* ceciderat, credo ad glandes, reuertente, de ridiculis libellis, quos pars hominum, aut vesaniâ liberalismi, aut philologicâ et poetica Graecomaniâ laborantium, ad radicitus euertendum et eliminandum Christianae Ecclesia institutum nunc temporis in vulgus emittere non erubescit, maxime autem de graui errore eorum, qui de *ecclesiis territorialibus* (*Landeskirchen*), de identitate quasi Platonicâ ecclesiae et reipublicae ciuilis, quam autem quodlibet bellum cum alia gente Christiana gestum necessario tolleret, nempe vt *Caesareopapiae* suae ciuili inseruiant, more, non diutius tolerando, disputant. Omnes eos homines, qui fidem Christianam non solo nomine tantum profitentur, hos *vnam*, quà terra patet, *solam ecclesiam*, quae non sola *ideâ* concipitur, agnoscere opportet, nempe a Christi temporibus vsque ad dies nouissimos continuatam, tanquam vnicam illam *formam socialem* generalem, quae, si cui vnquam rei ex longo temporum decursu *legitima dignitas* (legitimité) accrescere potest *historica*, hac *legalitate* et non interruptâ consuetudine inter omnes populos moratiores gaudeat, et de ea

conseruatâ iure glorietur. Inter *arma, praesertim ciuilia*, *leges silent. Regna periere et peribunt. Ecclesia Christi* autem, tanquam *ciuitas viui* et *veri Dei*, iussu diuino instituta, sola societas publica, a fatis diuinis ipsis ad vitam hominum vere religiosam formandam necessario comparata, *quocunque modo constanter viuet et permanebit.*

Quod ad *alterum*, supra *secundo* loco memoratum *fundamentum Ecclesiae* pertinet, quod quidem, vt a *primo*, *historico*, *positiuo*, externo, *historico* distingueretur, *internum*, *religiosum*, *ideale* appellabamus, non satis deplorare possumus, id quoque ab omnibus *Theologis, Formalismo* tum *hierarchico* et *bibliolatrico*, tum *philosophico* infectis, pessime explicari. *Orthodoxis*, aut in litteras scriptas aut in cuiusdam Sacerdotii auctoritatem et verba iurantibus, omnis propria libera assensio hominum singulorum, e conscientiâ religiosa promanans, quae toto pectore h. e. omnium facultatum viriumque animi concursu fit, *delictum* videtur, caecae obedientiae contrarium. Itaque *Ecclesiam* pro ergastulo et pistrino quodam pietatis habent. Minime omnium vero ex altera parte sunt audiendi Formalistae, *liberali Rationalismo* dediti, quippe qui more suo, omnia in vsum *λογολατρειας* istius suae, vere comicae, conuertere non desinunt, qua in re eatenus certe erant excusandi, quatenus ad *βιβλιολατρειαν*, profecto tragicam, sed de nouo semper renascentem debellandam, paullo melioribus hac in caussa sane, quam in reliqua sua re, auspiciis, sese accinxerant.

Nimirum *Rationalismus Seculi*, omnem orbem atque ambitum *veritatis*, humana cognitione comprehendendae, tam *religiosae* quam *ciuilis*, *inanibus* suis, a *vita*, quam *reuera* in hoc mundo viuimus, cultello anatomico logicae artis subtiliter abstractis, notionum et idearum spectris replens, *duo Spectra*, plena luce diei, ex nocte speculationis scientificae protulit; quae *Ecclesiae* et *Status publici* sanctis nominibus salutarunt; duobus illis *Materialismi*, scientifici seu *Mathematici*, spectris haud absimilia, quorum supra in *Philosophia* seculi adumbranda, mentio erat iniicienda. Nam quemadmodum *Tempus* et *Spatium* a vulgo hominum, quorum iudicium a *visis* pendet, et a philosophis etiam quibusdam subtilioribus pantheisticis siue realisticis (v. supra No. I—IV.), pro *ordine*, *absolute* necessario ac quasi *coaeterno* cum interiore beata vita supremi numinis habentur, quum tamen *tempus* et *spatium* modo *ordinem existendi* significant, sola *vi creatrice voluntaria* ac sapientiâ voluntaria pro arbitrio definitum, vitaeque creatarum stellarum concessum, vt motu suo ordinato et quieto beatam vitae diuinae propriae pulcritudinem et maiestatem imitarentur: sic etiam, *Ratio*, mere *humana*, *vim* veritatis *diuinae* respuens, *Ecclesiam* suam *theophilantropicam* et *moralem*, mere idealem et formalem, atque *Statum suum publicum rationalem,* pro duabus *formis autonomicis* ordinis socialis in vita hominum explicandi, habent, quae plane non a *voluntate* dei *obiectiua*, neque a *gratia* diuini arbitrii, sed a *voluntate rationali hominis* mere *subiectiua* et *autonomica* profectae, vna cum *immortali forma generis humani aeternae* sint; quum tamen experientia historica in his terris ipsis hos *caecos speculatores* longe contrarium docere debuisset. Nam ne omnes quidem homines in orbe terrarum *tali duplici ordine* et *ciuili* et *religioso* vtuntur, qualis a *Rationalistis* theologico-politicis, necessitate quasi mathematicâ, morali et scientifica excogitatur et demonstratur, verum talis duplex ordo vitae socialis a mera *gratia voluntatis diuinae*, quae mundum moralem re-

git, ad moratiores quosdam populos sensim demum peruenit, eo diuino consilio, vt mundus moralis siue socialis hominum virtutes paternas *exemplares* dei (Comm. IV.) gratiam, sanctam et iustam fortitudinem, prouidentiam, venustatem, pro fragilitate rationis humanae, semper opem dei aut respuentis, aut non intelligentis, quodammodo imitaretur. Quid quod etiam haud exigua pars et philosophiantium et religiosorum hominum omni tempore apud omnes gentes, exstiterit, qui totum hunc Ordinem ac Statum publicum quum ciuilem tum religiosum verae rationi repugnare dicerent: aut ad Cynicorum modum et Roussauii, vitam moratiorum populorum in radice et stirpe quasi iam mortuam esse, hac a simplicitate naturali facta secessione, existimando, aut, ex Hobbesii sententia, mundum socialem sola vi, dolo, soloque imperio, bellorum euentibus stabilito, contineri palam declarando, aut denique vitam suam religiosam a communi quadam auctoritate ciuili et ecclesiastica penitus separando. Quis igitur neget, *Statum* hunc *Iuris publici vniuersalem*, nisi ad *singulos* modo certos populos, pro *personis* quasi *humanis* habendos, respexeris, sed si *omnes homines legi tuae sociali* subieceris, *inanem* esse et *idealem Imaginem Formalismi rationalis*, quam Grotius potissimum e Scriniis Stoicorum ad aetatem recentiorem transtulerat. At, si fieri potest, multo *inanior* est altera *Imago Rationalis*, quam theologia politica Seculi excogitauit, nempe *Ecclesiae cuiusdam*, quae a *veritate ideali* doctrinae Christianae, fide *illuminatae*, tam longe dissidet, vt in omnes maiores gentes orbis terrarum, etiam paganas valere queat, dummodo hae vel religiosis quibusdam *ceremoniis* et *diuinatione* quadam vtantur, a *pantheismo* profectis, vel alio modo *deum* profiteantur, a *viuo* deo Christi plane differentem, in *naturam* naturantem et fatalem, siue in *ordinem* simpliciter *moralem* mutatum. Fundamentum ipsius Ecclesiae Christianae, *actu* inter *gentes viuentis*, quod *ideale* supra appellauimus h. e. nullo tunc respectu habito factorum singulorum *historiae* sacrae, propterea tamen non est *spectrum* illud *rationale*, quod *Deismus* vocatur, vbi *deitas* quaedam ponitur, quae etiam pro pantheistica et Spinozistica et ethicotheologica Kantiana, siue theophilantropica haberi possit. Fundamentum illud *ideale* Christianae ecclesiae est *viua* illa, sed etiam mere *positiua* et *reuelata traditio*, fide Christiana *illuminata* ac per *sacra* Christiana propagata, de *regno dei*, interueniente Christi *persona*, *explicato*, quod sub auspiciis eius etiam in *hoc iam orbe terrarum* hac lege certe sit *reuera* venturum, vt in *omnibus institutis populorum* ad *formandam* hominum vitam comparatis, tanquam *suprema ac pura veritas agnoscatur*, remota nimirum quauis idea dei pantheistica gentilium, quam vulgi caecitas facile amplectitur, vt *naturam* naturantem aut *ordinem ethico-politicum* pro deo colat. Vt igitur *fundamentum* illud *ideale Ecclesiae* Christianae a quolibet homine agnoscatur, necessario hac *fide*, quam cum multis Ecclesiae doctoribus illuminantem et illuminatam traditionem vocauimus, requiritur, Christi humanam naturam, diuinae gratiae afflatu, deique benivolentia ita fuisse cum diuina natura coniunctam, vt *puram religiosam veritatem*, a pantheisticis rationibus gentium contaminatam, humano generi de nouo annunciare non solum *voluerit*, sed etiam *valuerit*. Iam vero *Christus viuum deum πνευμα esse declarauit*, deumque in *veritate* et *pneumate* voluit esse colendum, huius autem supremi atque aeterni numinis naturam *pneumaticam* vbique ita explicat, vt *liberam* ei et *sanctam vo-*

luntatem tribuat, a quâ ipsa Christi humana natura religiosa *vnice nutriatur*, ita vt haec diuina voluntas Christum impellat, ad *veri* dei *paternum regnum*: scilicet vt hominum communio, ad *similitudinem gloriae diuinae*, in vita humana exprimendam, ineatur: vsque ad vltimos terrarum terminos propagandum; omnes autem discipulos preces docuit, quibus *regni diuini vis pneumatica*, *dei et hominum* liberâ *voluntate*, a *mutuo vinculo coniunctionis* proficiscente, adscisceretur. Accepimus igitur, docente Christo, cuius regnum in Ecclesia Christiana agnoscitur, *fundamentum ideale* Ecclesiae, nempe *veritatem* quandam longe aliam, atque illa mere *idealis*, siue *pantheistica* persuasio, ad quam philosophia *formalis*, *non religiosa*, vna cum multitudine hominum quotidie relabitur. Primum enim si, Christo docente, Deus *pneumaticum numen* appellatur, non potest hoc mente sic concipi, ac si *Deus viuus* sit suprema quaedam modo *cogitatio*, qualem ipse Schillerus in *verbis fidei* alias praestantissimis voluit, neque *Intellectus* ille *agens* siue *intuitiuus* philosophiae naturalis scholasticae, neque *conscientia* quaedam naturae naturantis *fatali necessitate* se explicans, vt omnes illos Theologos taceam, qui opinionem publicam vulgi religiosam plane corrumpant, nempe quum isti mere formalem et negatiuam aliquam notionem *pneumatis* tradant, non religiosam et viuam, sed metaphysicam, reuera falsam, quasi Deus naturâ suâ mera sit res, quae oculis et visis et sensis non percipiatur, quum corporis solum careat *figurâ*, breui *Intelligentia*, plane non coniuncta cum vlla vi propriâ corporeâ, mundi phaenomena producendi. Christus in precibus nobis praescriptis numini diuino *creatricem vim* attribuit, quam in aeternum, tanquam *suam* possideat, sed nusquam dixit, vt Pantheistae hodierni sane non prudenter loqui solent, deum *ipsum* nihil aliud esse *praeter vim naturae*, naturantis et fortasse cogitantis, in mundo *formis necessariis* sese explicantem. Etenim a *libera voluntate* Dei Christiani pendet omnis rerum creatarum *ordo*, non vice versa *deus* ab *aeterno ordine*, fatis praestabilito. Videant igitur illi, qui in *Ecclesiae* suae *formalis*, pro ea, quae in iis est vaga et infinita humanitate, excogitata definitione, *conceptum dei obiectiuum* Christianum plane negligunt, de mera *subiectiua forma religionis*, non de *viua dei voluntate* loquentes, omnemque Pantheismum Stoicum et Naturalismum in communionem religiosam reipublicae recipiunt, an non *ideale fundamentum religiosum Christianae doctrinae* funditus euertant. Vulgaris opinio hominum, *naturae* ordinem *visibilem* pro deo ipso libenter colens, Christum procul dubio, Mysticismi reum faciet, quod ille affirmet, *deum* omnipotentem valere, *ex lapidibus* meliorem sibi progeniem, ac Iudaeam, procreare. Quid autem aliud Mythologia graeca significat, quum de Seculo Pyrrhae, noua monstra questae, loquatur? Quasi non ab ineunte aetate didicissent, vim dei etiam ordinem consuetum, creaturis sane commodum, subito euertere! Quasi non meminerint, *historiam sacram* iam demonstrasse, etsi mythico sermone necessarie vtentem in rebus *suprahumanis*, *naturalem* ordinem, in orbe terrarum stabilitum, non esse *aeternis legibus rationis physicae*, sed vi, gratiâ, voluntate, beneuolentia, sapientia Dei voluntaria, institutum et conseruatum. Quis enim *tempus*, huic terrae forte concessum, pro *aeternitate* haberet? Quis *ordinem*, quem supremi numinis arbitrium et sapientia *materiae rerum*, vitam altiorem non sine quodam spontaneo motu explicantium, praescripsit, esse decretum *immutabile* putaret, ipsam *omnipotentiam* deuinciens, quae igitur non valeret,

.... quantum virium et potestatis Ouidius poëta soli iam Veneri genetrici largitus est .... statuas, Pygmalionis vice, e marmore excisas, vita donare? Credo lepida Mathematicorum et Physicorum nostrorum capita omnipotenti Creatori, accedente infiniti temporis lapsu, forsitan, saluis ceteroquin omnibus *humanae* scientiae iuribus aeternis atque priuilegiis, etiam hoc, etsi, paulo miraculosius, quam recta ratio reuera ferre posset, artificium, adhibitis nimirum cotibus, incudibus, malleis, scalpris, follibus, aliisque similibus instrumentis sapientiae humanae, permitterent. Vnum tamen obstat! Humana Intelligentia et doctrina nondum intima creationis ac naturae penetralia penetrauit, quantumuis longe ad extrema et vltima flammantia Mundi moenia, quemadmodum ille Epicurus Lucretianus processerit. Nempe ad *philosophiam naturalem*, non dico illam Isaaci Newtoni, in ipsis erroribus adeo vel maxime venerabilem, sed recentiorem illam in Gallia et Germania, Galliae perpetua imitatrice, per seculum, et quod excurrit, iam vigentem, omnibusque paene numeris absolutam, penitus complendam, *Vnum* solum vsque ad hanc nouissimum diem deest ac desideratur, profecto *minutulum*, scilicet vt profundi nostri, publice priuilegiati, naturae scrutatores atque interpretes, *diuinae omniscientiae* compotes (..... quomodo *aliter* enim *supremum numen* manifestare se vnquam possit, et in hoc mundo elementorum, prae celeritate rotationis, *praeceptorum logicorum Academicorum* haud satis memore, *ad sui ipsius conscientiam logicam*, *physicam*, *mathematicam*, *politicam pervenire*, quam per viros, omni laude maiores, per *mathematicos* nostros et *physicos* et *philosophos naturales*? ..... *Generationem* suam, quam vocant *aequivocam naturaeque vim plasticam* ad digitos nobis quam doctissime enumerent, nobis nimirum rudibus et indoctis, anxie adhuc, quo nos, de pietate nostra in parentes recte applicanda sollicitos, vertamus, haerentibus; vtrum cum Aegyptiis ranas, cum Myrmidonibus formicas, cum Darwinio Anglo Simias quadrupedes, succesiue arte saltandi instructas, cum Platonicis quibusdam et botanicis cryptogamisticis boletos, et agaricos campestres, vel sylvestres, *parentes humani generis* salutemus? Aliter enim *Intelligentiae* isti *humanae*, gentique *Philistaeae* virorum nostrorum honestorum, antimysticorum, vel ipsam poëticam umbram miraculi, tanquam conamen seditiosum, ad euertendum *Ordinem naturae pantheisticum*, *aeternum* h. e. qualem sibi isti satis commode finxerunt et excogitarunt, comparatum, odio Vatiniano persequentium, satisfieri vix poterit. Cunctas *cognitionis et scientiae Soli* cedere umbras, par est. Etsi Pindarus, procul dubio, mysticus, obscurarumque idearum amator, ipsum hominem, ne dicamus homuncionem σκιᾶς ὄναρ appellat: hic tamen homo, immortali logicâ, mathematicâ physicâque armatus sapientiâ, nullam pati vmbram diutius poterit, ne *vmbrae vmbram* quidem; nil actum reputans, si quid forte agendum ad euulganda arcana Isidis supersit. Semper enim videndum est, ne quid detrimenti capiat *Palladium* illud *Sodalitatis literariae antimysticae*, quae, *collegii opificum banausorum* instar, res religiosas, scientificas, politicas suo more et arbitrio formalistico ordinat, *Sensus communis* inquam, (*der gesunde Menschenverstand*, le bon sens) qui, Friderici Magni potissimum aetate ex Gallia et Anglia in *sero sapientem* Germaniam peruenit, atque a *philosophis antipoëticis* regionis Teutonicae, apertis brachiis exceptus, in paragraphos Academicos. stylo scientifico, systematico, *pure ac ge-*

nuine philosophico h. e. testibus omnibus Musis, vere ac *germane prosaico*, redactus, populo et iuuentuti eruditae sub *titulo ac nomine sanae rectaeque rationis* (*gesunde Vernunft*) ipsiusque *veritatis*, *κατ' ἐξοχὴν* sic dictae, venditur. An *sensus* ille *communis*, modulum vulgi captumque popularem transgredi, perpetuo veritus, nomen ac titulos *sanae mentis* rectaeque *rationis*, iure quodam suo vsurpauerit, quaerere, non huius est loci. Satis ea de re disputatum est in *noua conscientiae humanae, quae recta ratio vocatur, Analysi* a. 29 edita. At Di Boni! Quum illud *Palladium* ligneum, fabrile et formale, vel digito attingitur, quae communis vociferatio et clamitatio, auibus Capitolinis digna! Fac aliquis forte ausus sit dubitare, quin logica, philosophia moralis et physica; scilicet, vti vulgo docentur, fundamento suo aperte carentes; inquisitionibus vere theologicis et mataphysicis, finibusque cognitionis humanae regundis sufficiant, omnes boni ciues ad aedes huius *adversarii* (*μυστικωτατον*) obuagulatum ibunt, non sine callida prudentiâ adhibito plebeculae, nihil intelligenti, sed quaecunque non intelligit, pro falsis habente testimonio. Neque viri hi doctissimi minime mali vnquam intelligent, hominem aliquem non esse iam propterea existimandum aut *sana ratione* penitus carere, quod de logica artificiosa, qualis ab his viris in scholis, sine omni fundamento philosophandi, docetur, modeste dubitet, aut virtutis officia funditus euertere, omnemque prodere fidem et honestatem, quum Stoicos, Marcum Tullium et Kantium *rationis imperia* inania explicantes, pro meris *Formalistis* habeat, *bonique et mali*, quod *morale* dicitur *discrimen*, paullo altius esse repetendum et acutius definiendum existimet *ratione istâ sociali vulgi*; quam autem triuiales philosophi cum *ratione religiosa* confundere non desinunt. At ne videamur paginam aliquam ex Desid. Erasmi *Encomio Moriae* descripsisse, finem faciamus. Hoc quidem loco rerum tantum nostrarum sategimus, demonstrando, nihil facilius plausum *publicae opinionis* auferre, praesertim in hoc *lucis* et *formarum* generalium nimium studioso seculo, quam *ideas pantheisticas* de mundi quodam *ordine aeterno* et *immutabili*, ita vt maxima pars Senatus literarii manibus pedibusque in sententiam *Senecae Stoici* iuerit: „*deum* ipsum *omnipotentem* libera *voluntate* carere; *etiamsi forte semel iusserit*; in *aeternum nunc parere*," ita vt *fata* semper viam suam inueniant, dei vero *sancta voluntas* et sublimior prouidentia nunquam. Quid mirum igitur, rebus seculi ab *altera* quoque parte consideratis, si his peruersis magistris diuturnis ad nauseam nutrita opinio etiam, furtim quasi in praecepta contraria etiamnum relabatur, tenebras et miracula et somnia et vaticinia poëtica denuo illis inanibus sobriae intelligentiae formis lucique prosaicae, taedium mouenti, praeferre nulla erubescens? Mundum hominum Lutherus rustico ebrio comparasse fertur, deiecto ab asino suo, in quem ex *vna* quidem *parte* denuo imponatur, scilicet vt *ex altera* iterum in terram cadat. Sic igitur, si ad *ordinem naturalem mundi* cognoscendum respicimus, *genius* seculi *literarii*, et *scientifici*, quod dei gratiâ mox exspirabit, gradu accelerato, ad *pantheismum* processit, non potuit tamen, omni cognitionis suae luce prosaice clarâ, partem hominum licet exiguam impedire, quominus in crassae superstitionis tenebras reuerterentur praecipites.

Verum enim vero, vt a *mundi ordine naturali*, quem igitur vulgus *dei* loco colit, hactenus considerato, ad *ordinem* mundi *politico-moralem* contemplandum accedamus, his modo *expositis* similia quoque *Formalismi* pantheistici exempla in historia seculari opinionis publicae exhiberi poterunt. *Publica* opinio multitudinis, in societate ciuili viuentis, *socialique quadam ratione* politae, magno sane regnantium commodo, omni tempore facile inducebatur ad credendum, sibique habendum pro certo ac persuaso, eum rerum *ciuilium* et *moralium* cursum, quem fata apud gentes potentiores et maxime moratas per multa secula in pace et bello tenuissent ... *den Weltlauf* nostrates vocant ... *aeternis legibus* eodem *sempiterno* modo esse praemunitum, quo arx coeli siderei, mortaliumque in terris, quantum fieri potest, tranquilla habitatio. Quid quod ipsi, fortasse vsque ad nouissimum diem, nostri Politici, diplomatici, historici scriptores acutissimi ... Macchiavellum excipio, fortunae incertae aliquid tribuentem ... posito omni pudore, paululum subrustico, non aliter sint disputaturi? Est profecto, atque intercedit quaedam *ordini rerum historico-politico*, nisi *necessitudo*, certe *similitudo* cum *ordine naturali*, quatenus is ad leges physicas reuocari solet, qua de re in *philosophia historiae* (*Gott in der Geschichte*) egimus explicatius. Quemadmodum enim in hoc *mundo*, quem *naturalem* dicimus, infinitâque rerum creatarum vicissitudine, *imaginem* aliquam fluctuantem *Maiestatis* diuinae veneramur; summi *numinis proprietatibus*, si quas earum aliunde cognouimus, *haud absimilem*: sic etiam in *cursu rerum humanarum*, a *gentium moribus et fatis* profecto, quatenus is arte historica quodammodo sistitur, colligitur et in epocharum partes distribuitur, *Ordinem* quendam animaduertimus *politico-moralem*, eandem scilicet proprietatum diuinarum similitudinem prae se ferentem, quam rerum natura aperte imitatur. Quocirca historici seriptores haud inepte de *Nemesi* quadam, de illa, quam vocant virium politicarum *mensura* ac *reactione*, de *aequilibrio* inter gentes certe potentiores stabiliendo, disseruerunt, in hoc solo *vno* tamen semper peccantes, quod non sentirent, deum, seculorum mensuram non curantem, dum humanas res ad normam supremi ordinis h. e. voluntatis suae administret, nunquam *hominum*, mortis continuo metu misere exagitatorum, *negotiisque negotiosorum*, *ritu* ac *more festinare*, magnumque etiam *lusibus stultitiae* humanae (vnde adagium: *Narrenspiel will Raum haben*) annorum spatium concedere. In quem horridum igitur *Paralogismum* incurrunt isti *Politici*, qui omnem mundi *politici-moralis* salutem in *Stabilitate regiminis* et in facili, quasi mechanica, quietaque ciuitatum administratione ponunt, quum arbitrantur, hoc grauitatis centro in rebus politicis inuento, *longâque consuetudine*, multorum seculorum lapsu firmato, ad *aeterna* prouidentiae voluntatisque diuinae decreta logicam aliquam valere *consequentiam!* A *Sophismate* pigro, fatoque Turcico vix duo passuum distant, ipsis *Naturalistis*, peiores; simili, vt vidimus, paralogismo laborantibus; quippe qui certe *ordinem* suum *naturalem* scientificis et mathematicis fulciant rationibus, quum *legitimistae politici summum ciuitatum principium* in sola *potentia* ac *prudentia* quaerant, lapsu temporis firmatâ et comprobatâ, ceterum de sublimioribus Astraeae praeceptis quam minime solliciti, dum *formalis* quaedam et externa iustitiae species, in minimis solum spectabilis, non laedatur. *Liberalioris* quidem generis Politici hodie

punctum saliens potestatis ciuilis non in *vnius* forte hominis arbitrio, sed in *concentu* quodam omnium *studiorum priuati emolumenti* (*aller Interessen*) situm esse existimabunt, ita vt *menti* etiam humanae excolendae quasdam rationes, scilicet mere *priuatas*, beneficâ manu largiantur (*geistige Interessen*). Quidquid vero *sublimior natura hominis* non postulat, sed flagitat, id, quum facile perniciem faciat tranquillitati publicae, *Ostracismi lege*, a *statu publico* in illam *fortunatam insulam* merito *relegatur*, quam *Ecclesiam* philosophi nostri ciuiles vocant. At vel in hoc satis honorato exsilio humana *natura* vere *moralis* et *religiosa* viuit in ergastulo. Etenim ipsa haec *Ecclesia* aut ad mendicitatem *pietatis* detruditur, spem omnem in *alio quodam mundo* ponentis, aut in *ludimagistram* mutatur, quae populum obsequiosum reddat et ciuiliter moratum. Etenim a Politicis nostris scriptoribus quotidie scribitur et palam affirmatur, *Ecclesiam* esse rem, inter *machinas* illas varias vel *patria* instituta et instrumenta referendam, quibus *potestas ciuilis* vtatur, supremis suis consiliis inseruientibus, nimirum vt religionis ope educatio et disciplina ciuica et opinio publica cum *motu communi* concinat, a centro potestatis ciuilis proficiscente. Hac etiam in causa quis neget amplius, *Napoleonem* vatem fuisse politicum, seculi nostri *formalistici* sententias palam efferentem, heroicam autem viri vocem buccinam vltimi iudicii? Quum enim coram viro, dimidiam fere Europae partem tunc temporis, denuo incusso metu, adhuc gubernante, *Academicam docendi libertatem*, nisi absolutam defenderemus, certe moderatam excusaremus; ille autem in causam Academiarum Germaniae vehementer inueheretur, seculum hoc, ratione Academiarum habita, *Caroli V. temporibus* aequiparando componens: ex proprio ore Imperatoris, ad ministros Ecclesiae trium Confessionum sese conuertentis, audiuimus verba, quae a Stentoreâ, non sine maiestatica dignitate emissâ viri voce, facile animo nostro impressa remanserunt: „*Voilà donc les trois Confessions! Vivez bien ensemble! Mais surtout prêchez l'Evangile. Qu'est-ce que dit l'Evangile? Que le Grand commande et que le petit obeisse!*" Scilicet ille siue nouus, siue renatus Caesar Octauianus Augustus penitus ignorabat, dei iussu, *Christum regem veritatis* reuera in orbe terrarum apparuisse, atque ... vix multis Politicis religiosisque philosophis acutioribus nostrorum temporum, quin etiam pontificibus Romanis in ea re ab eo dissentientibus ... existimabat, *ecclesiam Christianam fabulâ quadam de Christo, mendacioque Paullino* esse superstructam. Hinc generosus ille *Indifferentismus* hisce in rebus ad fidem religiosam pertinentibus. Hinc mirum et *recentissimum* illud *Euangelium*, quamuis etiam antiquissimum, quum et *Belis* et *Nimrodis* iam idem placuisset, et quod iam pridem *Carneades*, Sophista Graecus, in *vsum delphini* et omnium in aulis principum viuentium, hac breui definitione complexus est, *ius est, quod potentioribus placet.*

Quae vero incommoda ipsis his *potentioribus* ex tali *sublimiori politica* disciplinâ nascerentur, *Ecclesiae* et *religionis* coelestem dignitatem plumbeis pedibus *gigantis* illius *Philistaei* subiiciente; .... quem, nescio, quo historico iure *Statum publicum* (*den Staat*, *κατ' ἐξοχήν* et in abstracto) hodie vocant, nimirum omnes isti, non sine spe honorum et lucri rempublicam capessentes .... id hos *potentiores* vel vna *Gellerti*, olim nostri, fabula docere poterat, nisi ipsa

nouissimorum temporum experientia doceret, sophisticam eloquentiam ac sapientiam adulatorum politicorum, et scriptorum venalium eiusdem generis, religionem ob ciuiles solum rationes simulantium, ab ipsa maxima parte populorum, vix indignatis amplius auribus, immo summo *hominum* horum, germane *seruilium*, veritatem Christi vendentium, prodentium contemtu excipi. Quodsi enim *mundi ordo*, *politico-moralis* iste, quem partes politicae, *victrices*, propter illud Liuii dictum, *euentum* stultorum magistrum esse, omni tempore pro *ipsa diuina voluntate* habere solent; *Politicam* suam, *virium pondus* et auctoritatem ciuitatum simulatam vnice *ponderantem*, a *subliniore virtute* et *religione* penitus separando, vt sola longa consuetudo, aut vis Imperii armata, aut Fauor popularis, aut opinio potentiae metum incutientis, denique *euentus*, annorum quorundam lapsu metiendus, *omnis veritatis* vitaeque humanae modulus appareat; reuera *aeternus esset* et *sanctus* et *immutabilis:* quomodo vnquam Iesus Christus *Rex veritatis* preces nos docere potuisset, quibus deum quotidie inuocamus patremque in coelis, rogamus, vt *regnum suum reuera* etiam in terris propius veniat, nobis non singulis, sed cunctis *appropinquando?* Quid enim opus est, vt aliud *regnum* veniat melius aut diuinius, si id quod in mundo ciuili institutis publicis *socialibus* legitimis explicatur, solâ sua potentia et existentia certo tempore locum obtinente, pro *optimo* immo vnice *diuino* habendum est, ita vt omnibus in orbe terrarum sapientibus satis sit, illius socialis formae praestantiam populis vnice commendare. Quomodo *deus*, qui *mundum* politicum talem, qualem ex. gr. historia Imperii Romani et gentium Indogermanicarum exhibet, ex multorum etiam Theologorum sententia, pro *immutabili soloque legitimo* declarauit, hunc mundi ordinem, *nouo regni sui aduentu*, quodam modo immutari vellet, aut pro sua sapientia etiam posset? Breui *pantheistica* philosophandi *ratio*, quae homines *seculi*, visceribus et medullis tenus penetrauit, eorumque *pigritiae* persuasit, vt vbique in ciuitate, in vita morata, et in opinionibus religiosis putarent, *ordinem formarum*, vsu quodammodo stabilitarum, *ipsum ordinandi principium*, diuinum h. e. *voluntatem diuinam*, aliunde etiam, quam ex solo vulgari vitae vsu cognoscendam, antecedere; hic, inquam, *Formalismus pantheisticus Seculi*, dum modo ipse sibi constet, non poterit ciuibus diutius hanc *libertatem ac facultatem religiosam* permittere, *more* vere *Christiano*, *regni diuini*, propius appropinquantem quoque, in *societatis* ciuilibus et religiosis institutis ipsis emendandis, *aduentum* optandi, verbis disertis *Dominicae Orationis* adhibitis. Ipsa enim philosophia practica Kantiana eruditos nostros iam diu docuit, rationem humanam, praeter *legis* quandam moralis *formulam* (*Sittengesetz*), *ordinem mundi moralem* (*moralische Weltordnung*) stabilientem, et societatem ciuilem moratam sancientem, nullum vsquam forte sublimius honeste *agendi* principium agnoscere, *voluntatem* autem *dei* alicuius *legislatoris*, quam *Crusius*, philosophus olim Lipsiensis, hac in re a Socratis Platonici sententia vix abhorrens, inter ipsa principia disciplinae, ratiocinatione perspicue enucleanda, retulerat, pro re quadam *suprarationali*, quidni *mysticâ*; nempe *autonomiae humanae* pantheisticae, *liberalismo Seculi* accomodatae, perniciosa; habere, quasi *sanctitas* dei legislatoris ἡ ταυτοτης; quam (in Commentat. III. et IV. de virtutibus Cardin.) vel ipsos *Neoplatonicos*, *non Christianos*, *liberrima* igitur ratiocinatione, attigisse, et virtutibus diuinis

exemplaribus annumerauisse demonstrauimus, quum *personae* aeternae, voluntatisque legislatoriae, *per se optimae*, *παραδειγμα* exhibeat; non ipsa sit arx philosophiae moralis vniuersae, sed *dei idea*, puritatem virtutis Stoico-Kantianae inficiens ac turbans, quippe a Kantio male in solo virtutem remunerandi munere posita, ex post facto demum accedat. Similiter philosophia Seculi hactenus de *regno dei appropinquante* indicauit, cui ideae, cum *Messianismo* Iudaico et in vniuersam theologico conflatae, nempe terminos *rationis sanae ac sobriae μυστικῶς* egredienti, scholae *Ordinem mundi moralem* callide ac prudenter substituerunt. *Formalistae* enim, vt *Intelligentiae* humanae *perspicuitatem* sartam tectamque conseruent, nihil pati possunt, ac tolerare, nisi *formas* generales notionum, a vita abstractarum. Itaque hic *mundi Ordo moralis* Kantiano-Fichtianus, cuius et definitio et locus et tempus; forsitan prae nimia ideae *claritate*; ab omnibus ignoratur, pro aeterno quodam regno *legis* pantheisticae, *nullius* vero vnquam *personae*, neque in coelis neque in terris existentis, quippe cuius auctoritatem philosophia idealistico-pantheistica semper reformidat atque perhorrescit, habendus. Quamobrem *Politici nostri illustres*, omnes, in *quieta* republica *periculosas*, *ideas religiosas* callide amouentes, non potuerunt non laetari, philosophiam temporum vulgus hominum in sententia illa confirmasse, in quam et Christi temporibus aduersarii eius inclinarunt, nihil esse *diuinum*, nisi qui ordo potestati militari, et arti diplomaticae, et fauori aut multitudinis aut potentiorum, inprimis autem priuatis rationibus humanis *sollitim* conueniat. Neque nostro tempore desiderantur homines tales emunctae naris, innumerabiles, qui Iesum Nazaraeum, dummodo tota haec vera sit fabula, ciuem *seditiosum* ac *fanaticum* declarent, longam obseruantiam et morem maiorum inutili quadam doctrinâ turbantem, praecipue in mortalibus *πνευμα* quoddam *ἀληθειας*, modo desiderantem, modo ponentem, cuius plane vacuum esse mortale genus nemo verius ac praeclarius videtur sentire, quam ipsi isti homines clarissimi *πολιτικωτατοι*. Qua in re profecto omnibus ecclesiae temporibus nihil fuit vnquam admirabilius, quam ipsorum Theologorum, politicis rationibus seruientium, callida subtilitas, inter illa duo *Spectra* venerabilia *Status publici et Ecclesiae* misere sedens in medio! Vulgari opinioni sane relinquatur, Christi imaginem denuo in crucem agere, propterea quod templum dei a mensariis et venditoribus purgauerit, diuturno priuilegio gaudentibus, fidem igitur omnium honestorum et tranquillorum ciuium, iure longae possessionis, merito implorantibus. Christum sola iam vi muneris *prophetici*, in Theocratia Iudaica plane *legitimi*, signum quoddam solemne *reformandorum Sacrorum* edere potuisse, vix in mentem talium virorum pusillanimium venire poterit. Ipsique, scilicet, vt Politicis et Iureconsultis morem gerant, Theologi vix vnquam ausi sunt, dicere, Iesum de *sacris reformandis* aliter, nisi forte per *doctrinam aliquam* meliorem, nempe *Intelligentiâ* humanâ paullo dignioribus sententiolis expressam, cogitasse, quippe qui ne vnum quidem tollere *legis* (!) titulum, apud animum statuisset. Quid, si Paulus Apostolus cum Petro iudaizante disputans, Theologis nostris, ciuiliter prudentibus, similis fuisset? Haberemusne mundum vel nomine *Christianum*? His et talibus Christi discipulis profecto aperte multo sincerius nobiscum agunt ipsissimi Christi aduersarii, olim clandestinum, nunc quoque satis apertum et generosum bellum de humano genere sic vel aliter formando, gerentes, quan-

tumuis lepide etiam hi de *auctoritate* Christi eiusque diuina legislatione, non probabili, sentiant. Quod enim piae quaedam animae pro summo semper argumento *veritatis* Christianae habuerunt, nempe ipse ille *humilis* et *obscurus, quo* dei filius *natus est locus*, is *pantheistis* nostris, subliniorem *ordinem mundi politicum*, prudentia ac potestate *ciuili* stabilitum, pro *solo signo* ac *documento voluntatis diuinae* habentibus, *grauissimum* semper argumentum videbatur, ad *reuelationem*, quam vocant, hanc penitus redarguendam. *Pantheistae* nostri *politici*, sicuti vel ex ipsis religionibus *gentium* discimus, necessarie omnem in *potentiâ*, consilii non experte, *auctoritatem*, etiam *diuinam* quaerunt, *summaeque veritatis* loco, more *Sophistarum*, solam *scientiam* colunt, et *artem* mathematicam, logicam, ciuilem, qua *potentia* definitur, ponderatur, et numeratur. Hi *politici pantheistae*, quorum vnicus *cultus idolatricus Ordo ciuilis est*, omnes *in Saphisma illud Aristotelis* proni inciderunt atque praecipites, quod in libello nuper *de philosophia morum* edito refutauimus, cui autem omnis *Politica* temporum innitur, quippe quo *Status reipublicae* pro vitae *toto* habetur. Vt talibus caecis, omni religionis interno lumine carentibus, aliquid diuinitus vnquam persuadeatur, non intimus conscientiae religiosae impulsus, non martyria fidem sanguine suo profitentium sufficiunt. Solus Octauianus Augustus, arte politica et militari regno potitus, ille est Pontifex Maximus, qui talibus hominibus decreto Imperii Sacra facienda imperet, ita vt tandem aliquando ipse etiam Pilatus, Scepticus, *veritatis* speciem *quandam profiteri* cogatur. His nostris igitur, supremâ *Intelligentiâ* praeditis *Politicis* nulla est *diuina* et *legitima* vsquam *auctoritas* in terris, nisi armis parta, congressibusque potentiorum, subditorum animas inter se diuidentium, foederibusque ac connubiis principum aut rerumpublicarum. Fanaticus ergo erat, Iesus Christus, qui se, *Pilato coram*, non modo *Regem* in regno *veritatis* ipse salutaret, sed etiam *hoc regnum veritatis*, ad *educandum* humanum genus nouo modo comparatum, non sine *solemnitate* externa *quadam* et commotione rerum humanarum auspicaretur. Non solus itaque Pilatus, Politicus gentilis, illam a Christo prolatam ἀληθειαν, quippe quae *Intelligentiae ciuilis* του ἡγεμονικου Aristotelici auctoritatem infringeret, diuinaeque, omnibus hominibus *religiosis aequali,* naturae subiiceret, pro mero *Phantasmate* habuit. Sed vsque ad hunc diem philosophi quaerunt, Kantio ipso eleganti ac lepido interprete, in quonam tranquillo Oceano insula haec *veritatis*, ne dicam regnantis, certe *oracula*, a *Sophistis* non euertenda, edentis, sit sita? Ibi igitur Christus rex *veritatis* regnet in pace cum suis! Quam callide et hic cum *politica* arte irreligiosa atque *gentili, theologia* artificiosa conspirauit, vt omnis *Ecclesiae* a Christo diuinitus inchoatae vis in res humanas, immo exterior *existentia*, tanquam efficacia quaedam reuera permanens stabilita, in orbe terrarum sensim denuo tolleretur, quantumuis auctoritate Christi baptizato! Primum enim *Persona Christi ipsa*, auctoritate permanens, et *fide*, qua deum cum hominibus nouo foedere coniunxisse dicitur, penitus *remouenda* erat. Nimirum, aut more gentilium, in personam simpliciter *mythicam transformanda*, qualem semper volunt Pagani politici, *regiam*, suprahumanam, in heredem regni diuini, non veritatis diuinae gratia, sed *iure* quodam imperantem, *diplomaticorum* more, deductione historica domonstrando, aut, vt tandem aliquando nodosa haec historica Messianismi legitimi, diuinaeque

naturae metaphysica demonstratio euitaretur, in meram quandam *doctrinam* moralem, in *philosophemata* institutionis Christianae, auctoritate carentia. Quid enim *personâ* Christi amplius indigemus, quum praecepta exstent, in reliquis etiam a *humana ratione* haud plane abhorrentia? At haec ipsa *doctrina* Christiana, vel sic nimium potens in docendo, si *vna* sola esset *Ecclesia*, videretur, quare iterum erat *dilaceranda* et in *partes* secanda, publice statutis legitimis *partibus religionis* s. Confessionibus. Harum partium *cuilibet soli* a Politicis nostris dignitas et auctoritas et cura *totius Ecclesiae* Christianae vniuersalis libenter tribuuntur, quantumuis diuersos doceant fidei articulos, quantumuis diuersis igitur *dogmatibus* de *veritatis* humanae essentia, institutis, ceremoniisque vtantur. Neque hae *Confessiones*, quas vocant, laceratae *Ecclesiae Christianae*, *vnius* et *indiuisibilis* particulas exhibentes, vllam aliam ob caussam *iure gaudent legitimo*, veritatem Christianam docendi atque Ecclesiae Christi *vniuersitatem* repraesentandi, quam propter *Instrumenta pacis* et foederum, a potentioribus factorum, ita vt nulla sit *veritas religiosa* in terris, quae amplius libere doceri posset, simulac summa *potestas politica* populorum, in terris foedere iuncta, longe alia decreuisset. Legimus vix paucis diebus ante, sententiam, oraculum a profundo quodam Politicorum nostrorum ingenio editum, sicuti omnia, quae scriptores eius generis hodie ex officio scribunt, *horribiliter sapiens*: „*Emendationem Sacrorum*, *a Luthero* profectam procul dubio *Seditionem fuisse* illicitam, donec *Principum* legitimorum, omnemque prolem opinionum publicarum, fortasse illegitimam, sub *mantello subsequenter legitimantium approbatio* accessisset.“ Vltima huius grauissimae sententiae pars tibi documento esse potest, vt scias, talia praecepta Politices sublimioris non a Catholicis Romanis esse emissa, sed in intimo gremio *Intelligentiae protestanticae* nata. Itaque omnis *Ecclesia Christiana*, accedente του πνευματος diuini impulsu stabilita, a Paullo Apostolo autem potissimum propagata, sectis, *iure reipublicae circa sacra* vix tolerandis, certe a Traiano et Plinio inspiciendis, custodiendis, superstitiosis, non legitimis, ex Taciti sententia fuisset, annumeranda, nisi *Constantini* Magni baptisma in Laterani, vt quidam aiunt, baptisterio accessisset, et *Iustinianus Imperator* Codicem suum *Repetitae* praelectionis a placitis Imperatorum, Gratiani, Valentiniani et Theodosii *de summa trinitate* a. 380. edicto propositis, esset orditus. Scilicet *Politici nostri* a Napoleone, supra allegato plane non discedentes, diuina verba Christi ἡ βασιλεια ἡ ἐμη οὐκ εστιν ἐκ του κοσμου τουτου Ioh. 18. vs. 36. tam callide interpretantur, quasi Christus; *veritatem* non *a sapientia huius mundi* proficisci asseuerando; dixisset, *regnum veritatis suae* per Ecclesiam, *verbum* diuinum πνευματικως, *libere* docentem, propagandae, quia non sit *ex mundo*, etiam non esse *in hoc ipso mundo*, in quo nempe *Caesaribus* semper *Augustis*, aut viris, Caesari a Consiliis, omnia mundana sint tribuenda, ipsa illa ad propagandam *diuinitus institutam gentium educationem* pertinentia. Quam *seditionis* ideam quum ii omnes, qui *Statum publicum*, ordinemque ciuilem, plumbeum illud εἰδωλον mere gentile et irreligiosum (*der Staat*, *die bürgerliche Ordnung*) conceptum illum inanem scholasticum, a societate humana et vita ipsa populorum misere abstractum, crassa superstitione colunt, ab incunabilis Christianae fidei penitus seiungere nequeant, et haud mediocriter, adeo in fauorem Imperii Romani gentilis et Synagogae Iudaicae extimescant: cupide hanc-

e *purissimo amore diuino* prolatae religioni ab hominibus mere politicis iniustam ignominiam ii aduersarii Christi arripuerunt, quibus placuit, *vitam* Saluatoris ex Euangelii voluminibus in biographiam singularis cuiusdam hominis, arte psychologica tractatam, omnique poësi sacra solutam, vertere ac transferre. Quomodo haec plebs animorum, ab omni sensu diuinae naturae cum humana coniungendae nuda ac destituta, magisque a *deo deserta*, quam ipsum isti crucifixum *regem veritatis* fuisse putant, modo e longinquo vel praesagire, vel attingere posset illam, quae coelo descenderat, *ideam regni* diuini, per solum *verbum dei,* non *rationis* socialis et sobriae via ac methodo, sed *πνευματικῶς*, h. e. liberrime docendum, in genere humano sine omni auctoritate ciuili propagandi? Ergo ne illam quidem de *tentatione Christi*, ab homine *pneumatico*, quum puro rerum diuinarum amore adiuuaretur, superatâ, historiam intelligunt. Scilicet offenduntur clarissima ingenia antimystica, prae intellectus plenissima luce sibi ipsa penitus *translucentia* ac dilucide perspicabilia, puerili illa nigra imagine *caprina* mali daemonis, humanae naturae insidias struentis. Erat sane in persona Iesu Christi etiam *politica quaedam auctoritas*, quam et ipsi historici nostri diplomatici, sobrii et antimystici, quodammodo conciperent et admitterent, si Christum non hominem *nouum a se ortum*, sed *Principem* ex stirpe Dauidis forte oriundum, coronam Iudaicam reuera praetendentem fuisse (*ein Kronprätendent*) ipsis demonstraremus. Tales enim homines *legitimos,* secundum *ordinem* mundi *politicum legitimum* hodiernum, sine *omni miraculo* rationi humanae molesto, inter gentes in terris versari, ipsorum nouissimorum dierum historia luce clarius docet. Verum enim vero huc accedebat quoque *vis quaedam suprahumana* et *suprarationalis pneumatica*, super euertenda omni sanâ ac sobriâ *philosophia* magis suspecta, nimirum sublimis ac succincta quaedam in docendo eloquentia, cuius vim pure *diuinam* frustra concionatores nostri, in sacro suggestu auctoritate ciuili constituti, omni arte Demosthenica et Ciceroniana instructi, imitarentur, tum etiam vis quaedam, quam licet magicam siue medicam, siue cum naturae scrutatoribus *magnetico-electricam* appelles! Nil interest. Hac igitur occasione, a fatis et ab ipsa naturâ rerum, Christo oblatâ is sane abuti poterat, si mala illi daemoni politica consilia susuranti, quem, teste historiâ, omnes politici, qui ad centrum regiminis vi et dolo peruenerunt, libenter omni tempore audiuerunt, aurem praebuisset non recalcitrantem. Suadebat enim ille *κακοδαιμων*, vt in scriptura legitur, *vim*, qua Christus instructus erat, *salutiferam*, in *vanam magiam*; *fiduciam*, quam diuinationi sublimiori extraordinariae prouidentiae totam consecrauerat, in *caecam temeritatem;* quod vero omnium erat grauissimum, *Regnum* theocraticum, solo *verbo diuino denuo* stabiliendum, *veritate* et *pneumate* et *libertate* res diuinas docendi vnice superstructum, in *Hierarchiam* leuiticam vel *theocraticam monarchicam* mutare. Quamuis enim theocratica respublica Iudaeorum, a Romanis iam sub iugum missa, neque opibus neque militari gloria floreret, *poesis tamen sacra*, et *notio dei supremi,* terrarum domini ac iudicis, quâ theocratia Hebraeorum omnes *gentiles* antecedebat, quippe qui ex Olympo meros arbitrarios rerum ciuilium patronos sibi asciscerent, non poterat non *spem* quandam inter Ebraeos nutrire, nisi Mohammedicis armis, certe culturae praeceptis et cultus diuini maiestate, imperium quoddam in *gentes*, omnes hac in causa religiosâ *barbaras* in futurum exercendi. Quid

enim magis *barbarum* illâ Taciti, cuius tanta est apud simias nostras, seruiliter Romana et Graeca imitantes, auctoritas, de *religione* Iudaeorum sententiâ? Quam male Tacitus de fatis diuinis ipsis, deque caussis, animum humanum intus vnice monentibus, in vniuersum senserit, in quauis pagina scriptorum suorum, faecem humanam non sine arte exponentium, satis superque elucet. Sed reuera *fastigium ridiculi* assequuta est mentis *gentilis* ac *barbarae caecitas* in hac *criminatione*: „Iudaei mente sola vnumque numen intelligunt ..... Igitur nulla *simulacra* vrbibus suis nedum templis sunt. — *Non regibus haec adulatio* (pro dolor!) *non Caesaribus honor.* Hist. V. 5. Ergo propter hanc sublimem; ob hanc naturâ morali hominis dignissimam causam *religio* Iudaico-Christiana *odium* erat Gentium humanique generis? Annal. XV. 44. Profecto *gens*, quae *cultu* publico certe puriore, *poesique et philosophia* prophetica omnes *caecos* terrae populos, eorumque Platones et Cicerones et Senecas antecedebat, poterat vel in aduersa fortuna, singulari semper fatorum prouidentiâ adiutâ, etiamnum spem nutrire, quam Tacitus his verbis describit: *eo ipso tempore fore, vt valesceret Oriens, profectique Iudaea rerum potirentur.*“ Christus ipse, non humani generis, caeci ac barbari, fiduciâ, sed sublimiori fiducia *verbi diuini*, Iudaeam odiosam et contentam non dedignantis, poterat religionem puriorem ἀληθειας και πνευματος, non in templis amplius celebratam, prophetare, cui diuino pneumati *Formalistae* nostri sobrie ac prudenter suum mere humanum λογον h. e. intelligentiam, scientiam, *rationemque* humanam, socialem, *politicam* substituerunt, quae tamen neque apud *gentiles moratiores* usquam desiderabatur. — Illâ vero prouidentiâ diuinâ instructus Christus *tentari* quidem poterat a malo huius mundi politici genio, sed non tentationi succumbere! Christum reuera *tentatum* fuisse, vel ex caeca ac plumbea hac ratione colligitur, qua Politici, mere historici, *vitam* hominis dei, religiosi et pure pneumatici, exponunt. Etenim quum vix *haec* nostro tempore indoles *religiosa* in homine posita concipiatur, quomodo aliquis hominum illius temporis potuisset *poeticam fabulam* excogitare, quae Christum, Alcidis vice, in *biuium* constitueret? Tale *biuium*, in quo optio proponeretur, inter Ordinem huius mundi *politicum* et *Ordinem* altiorem *prouidentiae diuinae* miraculosae, *educationi* humani generis destinatum, Solus Christi diuini, diuinisque fatis exerciti, animus *experiri poterat.* Nostri igitur vitam Iesu Christi explicantes historici, politici, nulli dubitarunt, Christum, in limine muneris prophetici constitutum, veram seditionem esse molitum, sed aut poenâ repressum, aut, quum de felici dubitare inciperet successu, ab hac populari commotione abstinuisse! Quis sanae mentis compos, qui praeterea, etiamsi pro fanatico eum habeas, *regni religiosi,* a se solemniter inchoati, auctoritatem sibi demum post mortem suam miraculosam promittere poterat, malumque Politices Daemonem, mundi huius ciuilis principem, scripturas non sine Socratica quadam ironia allegantem, ipsis scripturis *pie ac religiose*, coelestique cordis puritate refutauerat; tam puerilem seditionem meditari vnquam potuisset? Atqui certo sciebat, verbum diuinum, a se emissum viam suam esse inuenturum. Etenim non multa secula post, Christi nomen iam totum Romanum Imperium subegerat, ipsosque Caesares, ita vt hodieque Milani porta ecclesiae monstretur, a qua S. Ambrosius Theodosium Imperatorem arceret, caede Thessalonicensi pollutum. Numnam reuera putatis, adulatrices animae,

vos Theologi, Politici et Icti formalistae, ridiculam *νομολατρειαν* pantheisticam Christianae pneumaticae *theolatriae* anteponentes, callideque Napoleonis aurea praecepta sequentes, Caesari, potestatique ciuili terras, deo autem iurique verbi diuini, nihil praeter coeli post mortem incertas regiones, obscurumque fori interni tribunal relinquentes, num reuera, inquam, existimatis, Christum, quum solemniter, quod frustra hodie negatis, *regnum* veritatis, ipse rex veritatis primus ac solus *in terris*, inchoaret, nihil aliud aut maius voluisse, quam simulatam istam *veritatem* scientiae siue formalem, geometricam, siue Academiarum metaphysicam, quam cum Scepticis et Kantianis risit Pilatus, istam logicam, physicam, politicam et socialem rationem, ab Intelligentia humana ac per illud Aristotelicum *ἡγεμονικον* ordinatam, quippe cuius in regno et serui nascantur, et gynaecea clausa, et potestas militaris obsequium caecum postulans, et secreta Politiae inspectio, nullum verbum libere prolatum tolerans? Minime omnium! Voluit Christus *liberrimum verbi diuini vsum, interprete pneumate diuino*, non miserâ humana *eruditione* atque intelligentiâ interpretante, omnesque gentes per *baptismum* certe eatenus sibi adiunxit et fidei sacramento obligauit, vt praecepta haec religiosa omnes audirent, homines autem, religiosâ indole praediti, vocem *veritatis* libere neque inuiti possent agnoscere. Voluit Verbi diuini vsum, inquam, qualem et Lutherus Christianis restituere cupiebat; vti fieri solet, rationibus politicis etiam impeditus. Verbo igitur illo diuino regnanti, Seruorum manumissionem, patriae et maritalis potestatis moderationem, spectaculorum sanguinolentorum abrogationem, maiorem in bellis humanitatem aliaque similia beneficia debet humanum genus, quibus omnibus doctiores nostri *antimystici* h. e. Christianâ doctrinâ quantum fieri potest, supersedentes, *dente superbo* fruuntur, ceterum miseros in Colosseo Romano elegos canentes, quod cruce ibi erectâ vetante, non amplius liceat Neronibus, Christianos bestiis obiicere, siue quód nunc monachi, cum sancta *matris* imagine, non vero sacerdos cum tacita virgine scandat Capitolium. Sic vbique sensim sensimque in locum religionis Christi, quae vinculis vitae domesticae, vrbanae, elegantis, ciuilis, liberum amorem numinis aeterni voluntatisque diuinae obseruantiam anteponit, *rationem* quandam *socialem* politicam, Graecorum venustatem ac subtilitatem, Romanorum prudentiam legislatoriam et virtutem ciuicam, et nescio quam vniuersalem humanitatem sufficiunt, quae certo apud mortalem prolem, non moratam, vix ac raro reperitur. Ita cum *Christi personae immortalis auctoritate* ipsa verbi diuini pura simplicitas tollitur, et *regnum voluntatis diuinae mere ciuilibus rationibus status publici, iure Inspectionis in sacra Christiana*, quo tamen soli Turcae principes recte vtuntur, subiicitur.

Hinc igitur spectrum illud *Ecclesiae* rationalis natum, Ecclesiae Christianae caput mortuum, quod alteri *Spectro* Status *publici* philosophici, facili sane negotio adiungitur, quum semel ab *Ecclesia Christiana*, historicâ, *pneumaticam vim verbi* diuini, a *Statu publico* rerumpublicarum, ipsam populorum diuersorum indolem penitus detraxeris. *Quatuor* igitur *Viri docti οἱ πολιτικωτατοι systemata* excogitarunt, et quum de spectris et phantasmatis, hic sermo sit, reuera dici potest, *panxerunt*, vt pacem cum *ecclesia* pangerent, *statui publico* non sine auctoritatis quadam specie obuiam veniente, ne *regnum dei*, ideâ sola et *simulatione* saepe conceptum, tranquillitatem *reipublicae* turbaret, quum seculum nostrum nos profecto optime docuerit, *violentas* ciuitatum

Euersiones haud mediocriter *extimescere*. Qua in re vnum solum valde mirum videtur, *ciuitates* illas, quae Christo nomen dederunt, ipsissimas, nihilo minus sibi semper a *religione Christiana* .... quocunque licet modo *verbum dei*, in summis fidei articulis simplex et sibi constans, ad populi notitiam perueniat, ... cauere, ita vt non *Ecclesiae Aduocatiam* solum sibi arrogent, quod cuilibet homini Christiano acceptum esse debet, sed vt etiam *ius Inspectionis* circa *sacra politicum* adeo vigilanter exerceant, quasi ab *Ecclesia ipsa*, siue tanquam *hierarchica*, siue tanquam *pietistica* et *mystica*, siue tanquam theologica et literaria, societati ciuili plane eadem timenda sint, atque ab aliis *religionibus*, *traditionem Christianam* respuentibus. Quocirca verendum est, ne posteritas, non sine summo contemtu Theologiae seculi nostri ecclesiastici, in omnibus annalibus literariis narratum lectura sit, *Theologos* nostros, ... qui ceterum tunc valde errant, quum se pro *primis* in *Ecclesia* suffragantibus habent, neque desinunt, *Clerum* quendam, credo vel propter *meram scientiam* theologicam praestantiorem a *Laicis*, *inuito* Luthero, seiungere .... *dimidium seculi*, illis a prouidentia ad verbi diuini vim nutriendam concessum, in *sola* ista *quaestione tractanda* et *soluenda* misere consumsisse, quaenam *ratio, traditionem Ecclesiae sacram* interpretandi, *ciues* singularum ciuitatum *magistratibus* suis *reddat obsequiosiores*. Scilicet, quum vix Seculi humanitas amplius patiatur ac tolerare queat, *rogos exstrui* ad cremandos aduersarios: *Theologia dogmatica* certe in *litibus* ac *rixis* suis odiosis nouam viam inuenit, inimicos suos in perpetuum confundendi. Nimirum factiones doctae sese inuicem *criminis laesae maiestatis ciuilis* quouis modo accusant, etiamsi temporum *experientia* fere *aequalia* semper in vtramque partem *exempla* afferat. Ceterum *Hierarchiam* potissimum et *Caesareopapiam* in curriculo Seculi certatim accurrisse vidimus, vt *traditionis Christianae* suo more *interpretandae* ope, *dictatores*, si qui emersissent *politicos*, oleo theologico ungerent atque coronarent, quasi *Sidneii* et *Miltoni* scripta, ad accusationem, a *Salmasio* aliisque, ab ipsâ ergo tunc temporis *fideli* Gallia profectam, diluendam comparata, non in omnibus bibliothecis exstarent; quasi ignorare igitur liceret, *Anglos*, ipsa *Christiana traditione sacra* seditionem et bellum ciuile excusantes, nomine dei Christiani, multo ante Gallos *incredulos*, in tollenda omni pace ciuili deliquisse; quin ipsos etiam *papas* medio aeuo populos saepe fide sua, Caesaribus promissa, auctoritate dei praetextâ, publice soluisse; quasi, non vt verbis Shackspearii vtamur, ipse διαβολος scripturas allegare posset; *ad summam*, quasi *filius* dei non ad saluandos hominum animos in terris apparuisset, sed ad tuendas opes in *statu* publico partas, et ad animarum reipublicae cuidam subditarum numerum semper augendum! Numnam plane non perspiciunt *Politici* illi, qui *Regem veritatis* in *ludimagistrum ciuilem* transformant, (*in einen Lehrregenten*) ad mere humanam, *ciuilem* ac *socialem rationem* inter ciues subditos docendam a coelis missum, ita vt *ministri verbi diuini* nunc nihil antiquius habeant, quam vt pro *ciuilibus scholarchis*, a republica salaria iure postulantibus, habeantur: num inquam non sentiunt, eos ipsos Christi auctoritatem denuo prodere, h. e. ex animis hominum, propter aliquam formam regiminis ciuilis infestiorum, totum Chrisium *radicitus* euellere? Sic in *Gallia*, quae *restaurata* vocabatur, factio oppressa Christi memoriam nunquam ex animi sententia colere poterat, quum in eo non *agnum*,

qui mundi peccata tolleret, sed qui *errores omnes politicos iustificaret* et *sanctificaret*, agnoscerent! Sed *Prudentia* politica seculi iam diu reuera praeuiderat, fore, vt *vis verbi diuini pneumatica* haud apta reperiretur, ad fulcienda mere aulica et ciuilia vitae principia. Hinc gitur prodierunt recentissimae *definitiones Status publici* et *Ecclesiae*, quibus, de statu publico populorum diuersa indoles, de Ecclesia vero vis pneumatica (nempe mystica!) detraheretur. Hinc illorum *quatuor* iam memoratorum *Systematum*, quibus *duo Spectra* ista facile ac commode componantur, origo. I. *Systema Identitatis Status ciuilis* et *ecclesiastici*. II. *Systema Caesareopapiae*. III. *Systema sociale*. IV. *Systema denique Hierarchico-theocraticum*. Manifestum est, haec quatuor *systemata theologico-politica* ex *quatuor* illis *philosophandi rationibus* formari, quas supra omni tempore vicissim floruisse ostendimus. Systema enim *Identitatis* ex *Idealismo*, *Caesareopapia* ex *Realismo*, Systema *sociale* ex *Pantheismo*, denique *Hierarchia* seu Theocratia pontificialis *hierarchica*, ex *Theosophia*, siue *religiosa* siue *metaphysica*, siue *naturali*, siue *reuelata* prodiit.

I. quod ad *Identitatem* Rerumpublicarum et *religiosae* cuiusdam *communitatis* in vniuersum attinet, in libello de *philosophia morum* nuper edito demonstrauimus, talem fictam et imaginariam personarum quasi vnitatem sane in omnibus *rationis socialis* radicibus inniti. Verum enimvero propter hanc ipsam causam omnibus ciuitatibus, *gentilibus* etiam, erat commune institutum. Quocirca quum Caesar Octauianus Augustus, etiam Pontificatu Maximo fungeretur, nulla Caesareopapia locum obtinebat, sed vera *religionis* cuiusdam *publicae* cum ciuili potestate, idealistice conceptâ, *identitas*. Quaelibet *Respublica*, ad plures generationes hominum in perpetuum quasi regendas stabilita, gestit, res suas ciuiles cum *aeternitate* deorum *tutelarium*, cultu publico, coniungere. Hinc mythica, quae T. Liuius commemorat, ciuitatum incunabula, quem igitur non satis subtiliter interpretaremur, si putaremus, hunc historicum simpliciter de *venia*, superstitioni danda, non de *necessitate* quadam religionis *politicâ*, loqui. Sed longe alia postulat *Regni diuini Christiani ratio*. Ibi non de solius ciuis honestate et externa in templis pietate, sed de *toto homine* denuo formando sermo est. Solus inter Politicos philosophos antiquitatis *Plato*, *ecclesiae* Christianae *ideam* sublimiorem, tanquam communionem ad vniuersam hominis naturam, Christo duce, restaurandam, aptatam, quodammodo attigisset, nisi somnia sua de perfecta republica; per se iam ob perpetuam ordinum distinctionem, et ob communionem bonorum connubiorumque humanae naturae, animali simul et morali, contraria; in societatem hominum ciuilem, quantumuis *idealistice* conceptam, introduci posse, cogitasse existimandus sit. *Christus*, rex *veritatis*, vti supra demonstrauimus, *regnum verbi diuini*, et *regimen illud*, quod stabiliuit, *ecclesiasticum*, soli *veritati pneumaticae* cum hominibus communicandae destinatum, *in aeternum a regnis huius mundi seiunxit*, etiam a *theocratia illa Iudaeorum*. Ioh. c. 18. vs. 26. Itaque nunquam Christiana *religio*, siue ad formandos singulares populos, siue ad firmandos eorum magistratus, quum ciuiles, tum leuiticos et sacerdotales vllo modo pertinuit, quod et Constantinus M. ipse et Caesares Romani Christiani, et Carolus M. melius nostrâ Politicâ intellexerunt, quippe quibus nunquam in mentem venit, *Ecclesiae Christianae auctoritate libere docendi* semel in perpetuum agnitâ, huius Ecclesiae, in vitae praeceptis mere

dominantis, *Imperiique* Romani *Identitatem* siue fictam vnitatem, more *idealismi philosophici* ponere, aut quemadmodum Caesar Octauianus, *dictaturam ciuilem* et *ecclesiasticam* vnquam coniungere.

II. *Caesareopapiae* Systema a noto illo ac satis olim decantato principio, plane barbaro, pagano, solâ *philosophia realistica glebaeque* adscripta digno, proficiscitur. „Cuius regio, eius religio." *Ecclesia* ideo *Christiana* non pro *vna* amplius habetur, quouis modo regimini ecclesiasiastico coniuncta, sed in *varias partes* seu confessiones distribuitur, quorum tamen *vnaquaeque totam* Ecclesiae auctoritatem *repraesentare* gestit, quae autem auctoritas deflorata *auctoritati territoriali* subiicitur. Ecclesia Christiana igitur *territoralis*, tam *multiplex*, quam territoria. Vix *Guelphi* et *Gibellini* in Italia, etsi illi *Pontificibus*, hi *Imperatoribus* fauerent, de sententiâ iuris feudalis tam barbarâ cogitare poterant, quippe quae demum per *Schismata* Ecclesiae; ob metum Hierarchiae papalis, et per secessionem protestantium, in eruditorum hominum ingeniis, stirpis Indo-Germanicae, locum interdum obtinuit.

III. Iam *Systema sociale* plurimos inter sobrios Politicos et nostris temporibus asseclas habet et admiratores, quamuis aperte *Dualismo cuidam* mere *Pantheistico* superstructum. Itaque in *Regimine Christiano* ecclesiastico, Christi nomine stabiliendo, *magistratus ciuiles* et *episcopi* commode tanquam socii coniunguntur, quorum hi verbum diuinum docendum curent, illi *politicas cuiuslibet populi* peculiaresque rationes, hoc in sociali vinculo quodammodo obuias. Praeter *Theologos* ipsos, eruditione saepe peruersos, etiam laicos, quos vocant, aut rectius *presbyteros*, vere religiosos admitti, quis non gaudeat? Quid vero *magistratus ciuiles, qua tales*, hoc loco sibi velint, nemo vnquam poterit perspicere, qui *Christi* ipsius verba ac iussa supra allegata perpendit. Si quis adhuc forte dubitat, hoc *systema sociale*, ciuiles rationes cum aeternis rebus, ope *parallelismi* cuiusdam, nescio qua felici et peropportunâ commoditate, miscens atque confundens, ex nudo seculi Indifferentismo formalistico, *pantheistico*, quippe qui mundo politico, ordinique legitimo *ciuili* eandem, quin etiam maiorem *veritate* Christiana auctoritatem tribuat, prodiisse, ac directa ratione et via, pneumaticae vi religionis Christianae obuiam ire et repugnare, is legat, quae in *Augustana Confessione Reformatores* nostrt de potestate Ecclesiastica scripserunt (artic. in quibus recensentur abusus mutati, n. VII.) vbi cuncta atque plane eadem proferuntur, quae hactenus de *regno dei* in statu *ciuili* disputauimus.

„Itaque nostri ad *consolandas conscientias* coacti sunt, ostendere *discrimen Ecclesiasticae potestatis* et potestatis *gladii* (ciuilis) et docuerunt vtramque propter mandatum Dei religiose venerandam et honore afficiendam esse, tanquam summa beneficia in terris. Sic autem sentiunt, *potestatem clauium* (Episcopalem) *iuxta* Euangelium, *potestatem* esse seu mandatum Dei, *praedicandi Euangelii*, remittendi et retinendi peccata et administrandi sacramenta. Ioh. 20 v. 21. Marc. 16, v. 15. Haec potestas *tantum* exercetur *docendo* seu *praedicando verbum* et porrigendo sacramenta, *accepto spiritu sancto* (ergo libere 2 Cor 3. 17.) . . . . Itaque cum potestas ecclesiastica (Euangelii, quod est *potentia* dei Rom. 1. v. 6.) concedat res aeternas, et tantum exerceatur per *ministerium verbi*, non *impedit* politicam administrationem (Hic adiiciendum, quod, bene notandum ex prioribus necessario colligitur: „verum etiam politicam administrationem eiusque ratiooes *plane non curat*) sicut *ars canendi* nihil impedit *politicam administrationem* (*canendo* laudat alauda deum, sed *alauda*, quae in *Statu publico Politicorum nostrorum recentissimorum* versatur, laudare cogetur *administrationem* ho-

minum, psalmistam hunc comedentium). — Nam *politica* ratio versatur *circa* alias res, quam Euangelium. Magistratus defendit *non mentes*, sed *corpora* et res corporales aduersus manifestas iniurias, coërcens homines *gladio*, . . . vt *iustitiam* ciuilem et pacem retineat. (Hoc tamen loco vltimo auctor articuli sane nimium potestati *ciuili*, cuius partes in *libello* de *philosophia morum* descripsimus, detrahit. Mentes, scientiam omnemque animi probum et honestum cultum defendit *potestas ciuilis*, immo respublica ciuilis etiam *religiosae conscientiae libertatem* inter ciues non solum *non vexare*, sed etiam enixis viribus aduersus *manifestas iniurias defendere* debet).

„Non igitur *commiscendae sunt potestas Ecclesiastica et ciuilis*. Ecclesiastica . . . . non irrumpat in alienum officium (more *Hierarchiae* et Theocratiae leuiticae) non transferat regna mundi, non abroget leges magistratuum, non tollat *legitimam obedientiam*, non impediat iudicia de vllis ciuilibus ordinationibus aut contractibus, non praescribat leges magistratibus de forma reipublicae, sicut dicit Christus: Regnum meum non est *de* hoc mundo" (quod vero, vti supra ostendimus, *Caesareopapia* sic interpretatur, vt nobis sobrie ac prudenter persuadeat, Christum dixisse, *regnum* suum iussu diuino veritatis religiosae liberrime praedicandae gratia, stabilitum, ne *esse quidem in hoc mundo*, neque tantillum ad societatem humanam ipsam *formandam* pertinere) „Item: quis constituit me iudicem aut diuisorem super vos? Ioh. 18. 36. Luc. 12. 14. — et Paulus ait Philip. 3. 2. nostra *politia* in *coelis* est. 2 Cor. 10. Arma *militiae* nostrae non sunt carnalia, sed *potentia dei* ad *destruendas cogitationes*. Si quam habent Episcopi *potestatem gladii*: *hanc* non habent Episcopi ex *mandato Euangelii*" (ergo ne cathedra quidem Petrina Pontificum Romanorum, vti tamen volunt Papistae hierarchici) „sed iure humano donatum a Regibus et Imperatoribus ad administrationem ciuilem" κ. τ. λ. (Quocirca Pontifices Romani, eodem certe iure politico, quo reliqui principes ciuiles vtuntur, praeter Episcopatum, imperium quoque *ciuile* aliquod occuparunt, haud inutile omnino ad memoriam *Christi* regnantisque auctoritatis diuinae, eius personae etiam in terris attribuendae, quam aduersarii Euangelii caute removerunt, semper recolendam. Quantum, inprimis medio aeuo, *principatus ille ciuilis Pontificum* in gentibus religiose educandis profuerit, minus quam par erat, aduersarii Hierarchiae ipsius, quantumuis impugnandae et confundendae omni tempore, perspexerunt. Verum enim vero, quum demonstrare Pontifices Romani nunquam potuerint, sese, tanquam episcopos Petrinos, *vicariatum Christi* ex iussu diuino affectare: neque illa in subsidium semper vocata ciuilis et territorialis auctoritas, iis a Francogallis Imperatoribus olim attributa, vnquam efficere potuit, vt *totam* et *vniuersam Ecclesiam* Christi, eiusque *regimen publicum soli* repraesentarent. Quare Papam, tanquam *principem secularem*, *eodem modo cum ipsa vna*, *non diuisibiliEcclesia Christiana* concordiae *foedus* ingredi atque icere oporteret, ac reliquos principes seculares.)

Disertis igitur verbis *Reformatorum nostrorum Euangelicorum systema illud sociale* reiecimus, tanquam sententiam *plane* non *Christianam*. Etenim vero haec *Societas Ecclesiae Christianae* et *Status publici*, pari passu ambulantium, non pro *foedere* quodam iure gentium icto haberi vult, sed pro *societate* tantum *iuris mere ciuilis*, intra terminos territorii cuiusdam locum habente. Si igitur in *regimine Ecclesiastico*, quod forte apud gentes singulares, stabilitur, vna cum episcopis et presbyteris et aliis forte ex gremio *communionis Christianae*, nullius territorii finibus adstrictae, *deputatis Christianis*, magistratus etiam *ciuiles*, qua *tales* admittuntur, id non eo fieri consilio potest, vt forte per illos *magistratus ciuiles ius quoddam circa sacra*, mere politicum exerceatur, quod aduersus Iudaeos et sectas reuere fanaticas locum habet, minime vero contra vllam *communionem Christianam*, *quantumuis priuatam*, aut *contra Christianam religionem* ipsissimam. Tale *ius circa sacra mere politicum* potestati *ciuili* Sultanorum Othomanidarum, sane etiam repectu Christianae religionis, necessarie permittendum est, sed *ciuitatibus*, quae iam *baptismi foedere*, Christo, regi *veritatis diuinae* nomen dederunt, et aut expressis verbis aut tacite declararunt, se *Christianum cultum* in disciplina publica quouis modo esse sequuturas, plane est in-

dignum. Porro quum *Regimen Ecclesiasticum*, iuxta *Augustanam Confessionem*, in perpetuum ac penitus maneat *separatum* a *rebus ciuilibus*, magistratus ciuiles, quos diximus, non propterea *consiliis ecclesiasticis* adiungi poterunt, vt *verbum* dei, doctrinam Christi pure coelestem atque aeternam, ad verba *rationis* suae *socialis* mere humanae deflectant atque detorqueant. Itaque non decet postulari a Christiana religione, vt solemni cultu rationes politicae gentis alicuius *pure* sanciantur, quod mere paganum, gentile, irreligiosum, non est Christianum. Etenim videmus, ipsas leges ciuiles, matrimoniales, criminales rerumpublicarum multa complecti, quae *puram conscientiam religiosam ciuium* turbent, quum a legibus Romanis, et *consuetudine* peruersa gentium barbaricarum traxerint originem. Quomodo vllum *regimen ciuile* exspectare a doctrina Christiana poterit, vt hos et tales errores, forte non statim mutabiles, nihilominus tanquam perpetuâ dei voluntate comprobatos, propter solam *formalem auctoritatem*, institutis ciuilibus tribuendam, confirmet? Quomodo etiam, si *Ecclesiae* et *Ciuitatis aequalitas socialis*, intra territorii alicuius pomoeria, statuitur, haec discrepantia praeceptorum Christi et legum ciuilium tolletur? Qua in re a Theologis politicis Apostolorum, auctoritati ciuili obsequiosae sententiae callide adhibentur, sed seruili prudentiâ. Etenim status *primae Communionis Christianae*, quam *ecclesiam pressam* licet appellari, Apostolorum temporibus, Imperio gentili subiectis, vbi v. gr. pars hominum iuxta doctrinam politicam Aristotelicam ad *seruitutem* detrusa viuebat, plane non potest comparari cum *statu libero regni diuini* apud *gentes* quasdam, quae per *baptismum Christo*, *regi veritatis solemniter spoponderunt*, sese culturae *verbi diuini* Christianaeque veritatis aurem patientem esse praebituras. Breui, *magistratus ciuiles* ad *regimen Ecclesiasticum* exercendum adhibiti, nullam aliam ob caussam vnquam admitti poterant et vnquam poterunt, quam vt *gentis* ac *ciuitatis nomine*, memoriam *foederis*, ab illa gente proprie quasi et specialiter cum Christi *persona* initi, conseruent, cultum ciuilem *publicum*, quem *Christianum* esse gens voluerat; in reliquis rebus cum ipsa *communione* Christiana interiore, plane priuata et libera, non confundendum; ad summam religionis Christianae accemodent, inprimis autem, vt veram ac germanam toti *Ecclesiae Christianae Aduocatiam in rebus externis* praestent. Haec autem *Aduocatia ecclesiae politica*, quam magistratus *ciuiles*, vna cum Theologis aliisque hominibus Christianis ad *regimen* aliquod *Ecclesiasticum*, *Iura Episcopalia* exercens, stabiliendum conuocati, praestant, circa nullam rem magis versabitur, quam circa *libertatem pneumaticam conscientiae religiosae*, verbo Christi *illuminatam*. *Οὗ το Πνευμα κυριου, ἐκει ἐλευθερια.* 2 Cor. 3, 17. Haec est illa proprie *Canningii libertas religiosa*, quam Seculum iure suo non postulat, sed flagitat. *Factio* illa Seculi, quae *Rationalismo* et *Liberalismo* suo gloriatur, nihil praeter *formalem rerum superficiem* respiciens, hanc autem obscuram ignorantiam *lucem* ipsissimam esse existimans, itaque *Christi oblata* beneficia respuens, millies verba illa *Canningii*, Angli Celeberrimi, tanquam *Seculi Symbolum polemicum* (*Manifest und Feldgeschrei*) decantauit, „*liberté religieuse* et ciuile pour tout le monde!“ Qui autem plus postulat, quam par est, is reuera nihil omnino postulasse censendus est. Sane *tyrannis dogmatica* Theologorum, inprimis illa *polemica*, quae nomine *partium religiosarum*, confessione fidei differentium, exercebatur, su-

premum suum iam obiuisse diem videtur. Non autem propterea ea *licentia religiosa* est expetenda, vt Christum, qui se ipse vim *veritatis* et viam lucis appellauerat, spernamus, theologiam Iudaicam, paganam, Mohammedicam, Indicam, Tartaricam, Chinensem, quin etiam Indifferentismum, Materialismum, Atheismum siue scepticum siue dogmaticum, nomine *Rationis* socialis cuiusdam mere humanae atque cosmopoliticae, in intimum *gremium ciuitatum christianarum* recipiamus; quae dogmata populos, liberosque nostros doceant, nobisque ciuiliter etiam imperent. Pertinet igitur illa *libertas religiosa* Seculi ad istas ideas plane *negatiuas*, *formales*, indefinitas, quibus Seculum gaudet, quod ex *publicis institutis* impedimenta et abusus tollere non solum haud inepte optauit, sed satis feliciter quoque molitum est. Verum enim vero quum Intelligentia, *vitae vacua*, ex solis *formis* constet: nihil habemus in coelis et terris, quod in locum illorum abusuum mutatorum et sublatorum, olim certe cum quadam vi ac vita coniunctorum, sufficiamus. *Intelligentia formalis* nihil habet bonorum per se expetendorum, praeter vanum illud spectrum *Ordinis naturalis* et *politici*, cuius causa homines scientiâ vana inflati non solum Christi *personam*, sed etiam *Pneuma diuinum* ipsumque *viuum* deum vitamque in rebus aeternis collocatam aspernantur. Nihil autem magis molestum esse, quam *tyrannidem* inanium *Formarum*, sine diuino quodam proposito ac consilio, animis, a *ratione* mere sociali, empiricâ impositarum, quam Christus in Pharisaeis spreuit, experientia nunc quotidiana nos docet omnes. *Formas inanes nouas* in omnibus disciplinis habemus, vice formarum abrogatarum. Dominos mutauimus, non dominium.

IV. *Systema Hierarchiae* leuiticae sicco iam pede praeterire possumus, quippe, vel verbis allegatis Confessionis Augustanae, multo magis populorum, nunc etiam ipsorum eorum, qui fidem *Catholicam* prae se ferunt, consensu explosum. De hac *Theocratia* sacerdotali, episcopali, monarchica idem dici potest, quod de *Theosophia philosophica* in vniuersum, cuius principiis est superstructa. In Commentationibus de Philosophia morali Neoplatonica, deque *exemplaribus dei virtutibus* (Comm. IV.) docuimus, hanc Theosophiam, etiam in omnibus suis erroribus maximam tamen seruare constantiam, quoniam etsi in *vna* tantum parte naturae humanae superioris sita requiescat, ergo haud minus ac reliqua *tria* Systemata Philosophica, *vnilaterale Systema* sit vocandum, nihilominus in eam partem potissimum vergit atque inclinat, quae, quantumuis profunde latens, pro fundamento tamen animi et mundi et vitae humanae vltimo habenda sit. Sic etiam *Systema hierarchicum*, quod ab incunabulis generis humani vsque ad nostra tempora non sine perseverantia quadam et constantia pertinuit atque se explicauit, ob solam iam auctoritatem *nominis* diuini tantum semper valuit, vt ipsae quoque, quae longe diuersam viam ingressi essent, cosmopoliticae, demagogicae et mysteriosae societates, dirâ regnandi cupidine correptae, illud systema imitarentur, atque humanum genus, coecumque vulgus, in medio positum, perpetuo, inter *leuitica* Mysticismi et *cosmopolitica* Liberalismi mysteria fluctuet. „Quodsi vero, inquis, omnia haec *quatuor* in *Iuris canonici* disciplina recepta philosophandi genera atque principia tibi non arrident, quid tibi et nobis, cuncta haec tibi largientibus, restat? Quum *duo regna*, *humano generi aeque imperantia*, ponuntur componenda, iam ipsa mere formalis mathematica et logica combinationis formula nos

docet, praeter *quatuor* illa summa conamina iuris Canonici, regna illa duo coniungendi, dare nulla. Aut enim *vnum* horum duorum regnorum auctoritate alteri in omnibus praestare debet, tanquam superius, aut omnis horum regnorum differentia, tanquam reapse locum non habens, tollenda, aut, si quod verum discrimen forte supersit, vtrumque regnum, sociali quodam vinculo connexum, pari passu in Parallelismo quodam ambulare oportet. Stringens profecto atque etiam perstringens argumentatio, nisi iam supra iuris Canonici peritis, theologico-politicis, vitium *detexissemus*, quod in *Systemate sociali* diu latuit absconditum. Latet enim obscura illa amphibolia in *conceptu*, quem Iureconsulti sibi de *societate quadam* in vniuersum informare et excogitare coniecturâ possunt. Scilicet propter commoditatem, quam omnes, qui, vt aiunt, in praxi versantur, ex *systemate* isto *sociali*, nullo non tempore perceperunt, sibi valdopere cauebant, ne profundius ex huius systematis superficie ad profundiora eius initia descenderent. Alioquin procul dubio perspexissent, atque compertum habuissent, *pactum sociale*, *inter particulam Ecclesiae Christianae vniuersalis*; quippe quae *semper pro parte* tantum in *territorio* resideat; et inter huius *territorii potestatem ciuilem* initum, ad *ius priuatum* pertinere, neque comparandum esse cum *foedere iuris* gentium, quod *duo regna* ingredi debeant, quorum vtrumque pro *plane libero* sit habendum. Enimuero omne *sociale* pactum, ad *vitam* intra fines ciuitatis alicuius pertinens, *Iuris priuati* est, aut si mauis, etiam iuris *publici interni*; *foedus* autem, ab Ecclesia Christiana cum vniuersa ciuitate quadam ictum, quae disciplinae Christi nomen dediderit, tanquam *foedus iuris gentium externi* est considerandum. Accidit igitur *Doctoribus Iuris Canonici*, inprimis *Euangelici*, quod multis Eruditis, Germaniae inprimis, solet accidere, vt in illo sempiterno *Caesareopapiae* cum *Hierarchia Romana* conflictu, prae arborum multitudine, sicut vulgare prouerbium rem satis dilucide exponit, *syluam* perspicere nunquam potuerint. *Quintum igitur vnicum ac solum* illud est, Christo, eiusque *religione* dignum *Systema*, quo *Ecclesia* cum *statu publico* reipublicae cuiusdam concilietur, nempe *systema foederationis*, *iure gentium*, *diiudicandae.*

Ex annalibus mundi iam supra argumentis historicis effecimus, illud hominum genus, quod Christo nomen dederit, *vnam nationem* esse, *lege baptismatis* iunctam, quae *legitimâ quadam antiquitate* omnes *gentes ciuiles* recentiores antecedat, ipsis priscis ciuilibus societatibus, fato defunctis, sola superstes. Quod Poësis sacra *populum dei* appellat, id ad vniuersam *gentem Christianam* reapse translatum est. Dici potest de *Christianis* idem, quod de Iudaeis nostro tempore in terrarum orbem longe lateque dispersis. Christus, in hoc mundo ipse nusquam reuera habitauit, sed *peregrinus diuinus* fuit, qui non haberet, quo in loco caput suum reponeret. (*The greatest stranger* in this world *was he that came to save it. Goldsmith.*) Eadem de discipulis suis, de *gente diuina* siue sancta, Christianâ, dicenda. Vitam, *nomadicam* quasi, ea agit in terris atque patriarchalem. *Popularis meus* est ac *frater*, in quolibet angulo terrarum, qui Christi personam, a deo profectam, ex animo amat, diuinum eius amorem humano suo . . quodammodo compensare studet, praeceptisque veritatis Christianae pneumaticae aures non, vt nostrates acutioris ingenii solent, occludit. Haec igitur *gens Christi*, *vno* baptismo vnita, fixâ quâdam *potestate* ecclesiasticâ vix

indiget. Pneumate, in communione orationis et sacramentorum, minime vero in conciliis dogmatico-theologicis, *coniunguntur*, etiamsi, vt Paulus et Petrus Apostoli in diuersas interdum partes abeant. Haec igitur *Natio*, sola lege baptismatis et Eucharistiae coniuncta, et sacrae traditioni, de *educatione* Gentium per *diuinam prouidentiam perficienda*, fidem habens, cum aliquo populo foedus quoddam inire existimanda est, cuius carminis summa in eo ponatur, vt populus ille culturae Christianae sese accomodet. Nulla igitur *Ecclesia territorialis* ita concipi siue cogitari potest, quasi, *auctoritatem Ecclesiae vniuersae* prae se ferens, *societatem priuatam* ineat cum *republica* quadam *ciuili*. Immo quaelibet respublica iam existimatur, *foedere* quodam *iuris gentium*, se *vniuersae* genti Christianae adiunxisse. Etiamsi Concilia *oecumenica*, quae, dogmatum metaphysicorum gratia, habebantur, hic non respiciantur: etiam ipsa haec *Concilia Oecumenica* tamen *in forma* demonstrant, *vnam* rem atque *eandem* agi in omnibus populis Christiani nominis. Porro nulla, quae baptismatis legem vnquam agnouit, gens, auctoritate sua mere *ciuili*, *aeternam fidem Christianam* in summa eius simplicitate mutare poterit, nisi dissensum omnium Christianorum, id reprobantium, experta. Neque pro crimine laesae libertatis Christianae statim est habendum, si nomine amicitiae Christianae, fidei Christianae communio quaedam, etsi forte superstitiosior, res christianas aliarum communionum publice minus probet, quod in ipso Iubilaeo Geneuensi nuper accidisse notum est. Breui *Systema foederationis* iuris gentium, quod vnicum verum esse diximus, quo *Ecclesia Ciuitati* concilietur, vim diuinam et auctoritatem pneumaticam huius Ecclesiae Christianae *totam*, non diuisam conseruat. Quum autem hoc *Systema foederationis*; quod non solum ex omni temporum historia colligitur, sed etiamnum reapse in rebus religiosis publicis gentium viget, *Concordatisque* et *sacris foederibus* gentium; Doctores Iuris Canonici agnoscere nolint: pace eorum dixerim, me nullum dubitare, Lutherum, qui olim Corpus Iuris canonici Romani, quamuis frustra, concremasset, etiam scripta iuris Canonici vel maxime philosophica Protestantium, *quatuor* modo illa *Systemata* respicientium, fuisse concrematurum, tanquam rei Christianae Augustanaeque Confessioni plane non accomodanda. Verum enim vero in omni ratione Seculi, *de formis* vitae litigantis, situm erat, vt *summa* rerum nostrarum, illa *arx* naturae humanae, coelum sublimi vertice tangens, ipsa *veritas*, inquam, Christiana, altercationibus minutioribus Theologiae polemicae, inter religiones diuersarum Confessionum exortae et perpetuo nutritae, et rixis de Externis Ecclesiae, tanquam crassis nubibus, obscuraretur.

Longiores eramus in *Formalismo Philosophiae* et *Theologiae Politicae Iurisque Canonici*, hoc seculo vigentis, exponendo. At hisce rebus, tum *Speculationis metaphysicae*, tum *Religionis* ad *ciuilem* vitam applicandae, cuncta reliqua continentur, quae ad *seculi nostri*, nunquam satis admirandi, indolem adumbrandam, eiusque, quippe in apice ac fastigio quodam rerum humanarum emendandarum constituti, *merita*, propter grauissimos labores heroicos, politicos, ecclesiasticos, scientificos, exantlatos, in ipsis erroribus nunquam spernenda, sed posteritati fideliter animoque sincero exponenda, pertinere vllo modo possint. *Ecclesiae* idea, quouis concipiatur modo, cum *societate ciuili* semper connexa, non medio aeuo tantum philosophiam, artes et disciplinas et lite-

ras cunctas complectebatur, sed ratione indirectâ certe, ac negatiuâ, omnem populorum culturam et educationem et eruditionem publicam etiamnum format, regit ac moderatur. Igitur *inanitas formarum*, quâ *Philosophia*; ad solam *dialecticam* et *methodum* systematicam *scientiae*; Theologia autem *politica* et *canonica*, ad rixas Confessionum de ceremoniis et *paritate*, quam vocant, *auctoritatis* in singulis territoriis, de bonis ecclesiae, et ratione, ministros ecclesiae vel maritandi vel non maritandi, inprimis vero *nutriendi*, ad summum de *sacris literis* grammatice interpretandis, detrusa iacet, haec, inquam, *inanitas* philosophica, theologica et moralis, in strepitu bellorum et seditionum vix satis a populis moratioribus animaduersa, non potuit non *opinionem seculi* negotiosissimi, in omni vita ordinanda, nisi totam in Materialismum, certe in Empirismum et Intelligentiam formalem, mere politicam; dare praecipitem. Ita vbique pro *Iunone*, vt aiunt, omnes nebulam amplectuntur; Formae institutorum religiosorum et litterariorum, socialium, fato defunctae atque cadentes, innouantur. Si quae vsu probatae supersunt, eae, nouis formis magis inanibus, perplexis, inutilibus augentur, scilicet vt ingenia nostra *formalistica*, sine molesta profundiorum cogitationum ope, grauissima exigere possint opera et negotia. At rerum summa in eo posita est, quod *ratio* illa *socialis, Intelligentia* ista seculi, omni pneumate destituta, *το πνεῦμα ἀληθειας* aspernatur, in quo tamen omnis *salus humana* in ipsis terris sita latet atque recondita. Neque, ne his innumeris consiliis negotiisque *formalisticis*, empiricis et practicis, humana dignitas, os illud sublime, de quo Ouidius cecinit, in perpetuum confunderetur, atque se iret perditum: cultura *Seculi haec intellectualis*, quae a Voltario, temporibusque Friderici Magni inceperat, aliud quid reliquerat, praeter quosdam ingenii lusus liberaliores, *epigrammaticos*, risum mouentes (Esprit, *Witz*) in solatium miserorum mortalium, glebae Empirismi, Materialismi et Formalismi adscriptorum, et sub onere *praeceptorum* inanis eruditionis, et inanis vitae *politicae*, *practicae*; quae Christus, *Iupiter* ille *liberator*, vna cum omni Pharisaeorum doctrina reiecerat; grauiter ingemiscentium. Quid quod illa regio ingeniorum sublimiorum (*das Reich des Verstandes und Witzes*), vbi quaedam maior libertas spiraret, quae laboribus vitae ciuilis officiosae quodammodo supersedere conaretur, solis hominibus illustriori loco natis aperiretur, diuitiis vitaque elegantiori, voluptatibus affluente, elatis, quippe quibus hominibus, vsufructu omnium bonorum excultis, vix Christus ipse ausus esset, Euangelium suum *pauperum* offerre! Quae igitur ingenii beneficia tempore Voltarii, Friderici M. et Iosephi Imperatoris; *primo*, sacerdotibus et hierarchiae; *secundo*, orthodoxiae dogmaticae, in paterno regno olim vigenti; *tertio*, vitae monachorum, inprimis inutili, quam maxime infesto, in reliquis, aemulatione seculi, quasi tempestate, delato; humano generi vix larga manu spargebantur; ea; pro dolor! ad paucos omnino homines pertinuere, ita vt reliqua multitudo, non sine assensu potissimorum eorum, qui eam regebant, priscae superstitionis et metus, vitaeque mere officiosae oneri ferundo reseruaretur. Qua in re tamen praeclarius nobiscum agebatur, h. e. cum cetera turba, natâ fruges consumere, quum Schillerus noster, tanquam nouum quasi Euangelium, ad salutem mortalium recuperandam comparatum, „*Educationem generis humani* pure *aesthsticam*“ (*eine ästhetische Erziehung des Menschengeschlechts*) ope pulcrarum artium perficiendam, proclamaret, ita vt

Idealismo philosophico, qui Germaniam diu inanibus spectris terminologiae Kantianae et Fichtianae male habuerat, deinceps pantheismo philosophiae naturalis, breui subtilitatibus vniuersae Intelligentiae *formalisticae* certe *intuitus* quidam, nisi rerum, saltem gratarum vitae imaginum, quasi summi et supremi et perfecti boni loco, adiungeretur. Res iampridem in scholis recentioribus criticorum nostrorum, duce *Goethio* inprimis, sed ab ipso quoque Kantio praeparata. *Goethius* nouum nouae religiosae disciplinae *Codicem* Sacrum exhibuerat, *Fausti* malique daemonis opiniones cum speculatiuas tum practicas drammate complexus, quo *Seculi* commodis et *studiis* (*den Interessen des Jahrhunderts*) h. e. subtilissimae Scientiarum Intelligentiae pantheisticae, beatoque, ab omnibus officii vinculis liberato arbitrio, libidinibusque vitae voluptariae, delicatae et elegantis, aeque consuleretur. *Kantius*, qui vt supra vidimus, *κυριαν δοξαν* seculi optime perspexerat, solâque methodo scientificâ expresserat, etiam in *sensu pulcri* explicando rem acu tetigit, consensum ingeniorum elegantissimorum assequutus. Quomodo enim non tulisset suffragiorum puncta in rebus etiam aestheticis philosophus, qui propriam *venustatis* indolem in sola *elegantia formae* sitam esse satis ingeniose demonstrasset, ita vt venustatis *forma* haec speciem quandam *ordinis*, tantum *simulati*, *finiumque*, reuera non propositorum, redderet, liberrime advmbratam et delineatam? Quemadmodum autem *Kantius*, prout ingenii Germanici, non penitus sensu conscientiae moralis destituti, res postulauerant, in vita *actiua* systematis ordinanda, non poterat a *religione* officii, neque a conuictione *improbitatis* cuiusdam humanae declinare ac deficere: sic et in *aestheticis* idem auctor, qui et de *sublimitate* quaedam conscripserat, non poterat non *sublimitatem* a pulcritudine rerum singularium separare. Itaque Kantius in philosophia, quum practicâ, tum aestheticâ, viris seculi visus fuit non satis sibi constare, quantumuis *pantheismo* eatenus satisfecisset, quatenus, *sublimitatis sensa*, *a dignitate humanae naturae* tantum, non, vt par erat, a *maiestate* diuini *numinis* deriuasset. Vt igitur in perfecto ac completo sententiarum ambitu Seculi *Formalismus* sibi penitus constaret: quod Kantiana philosophia in *sensu sublimitatis* et *obligationis moralis*, de vi atque essentia quadam supremi numinis, media via consistens, reliquerat, ita tollendum erat, vt in *principio* quodam informi atque indefinito *absolute Infiniti*, libero arbitrario speculatiuoque aspectu ac conceptu cogitati, omnes *formae veri*, *boni*, ac *pulcri*; in hominis mortalis conscientiâ, quodam necessario ac perpetuo modo, discriminatae; plane commixtae conflarentur. Quemadmodum olim Scholastici supremum numen *Ens entium* vocabant, sic habes nunc in *fine* ac calce omnis, quae cursum suum profecto peregit, philosophiae Academicae, systematicae, *Spectrum spectrorum*, quod reuera iam Cartesius nouerat, qui id *actum simplicissimum*, nempe in deo appellaret. Hoc in extremo *spectorum spectro* speculationis pantheisticae, quod profecto Faustius Goethianus sublimi carmine celebrauit, omnia reliqua *Spectra*, quae in quodam oppositionis conflictu perseuerauerant, *το* Ego et rerum externarum ambitus; ordo fatalis naturae et ordo entium, libere agentium, vis corporea et psychica, et pneumatica; infinita, quidni aeterna Spatiorum et Temporum series; liberrima imago summae pulcritudinis sensusque obligationis religiosae, tanquam in vno *sepulcro*, conduntur. Haec igitur *pantheistica ratio*, vbi omnia coelestia et terrestria, ex sententia Pythagoricae scholae, men-

sura, numeris et pondere constant, non potuit non placere Intelligentiae seculi scientificae. Plaudunt et philologi propter felicem, a rebus mysticis ad Graeciam reditum ac receptum. Inprimis autem *recentissimae* quaedam *philosophiae*, quae superato omni Speculationis fastigio, *principatum nunc* affectant; propter *doctrinam morum aesthetico iudicio*, *prouidentiam* autem *dei paternam fatis* subiectam; cunctam illam Germaniae iuuentutem, quae a Goethii Fausto profecta, se *nouissimam* appellat, allexerunt.

Vt *summatim* omnia complectamur, quae de *seculi formalismo* disserendum erat, non potest negari, illud Seculum, quod a Friderici Magni, Voltarii, Lessingii, et Goethii Kantiique temporibus inchoatum, directum quendam, per tristissimum Napoleonis episodion vix interruptum, cursum tenuit; etsi *τον πρακτικον βιον* longe omnibus anteponeret; tamen et *τον θεωρητικον* non neglexisse, in quo transformando labores admirabiles et Herculeos exantlauit. In vno tamen erravit, nimium de vi sua procreandi, gloriando. Scilicet, ad euertenda, siue potius demolienda prisca aedificia, fatis omnibus annuentibus, architecti nostri aduocabantur. Ad hoc iam negotium perficiendum Contabulatione et Contignatione *formarum exteriore*, opus erat, quam tamen pro ipso *palatio* habuerunt, *tribus columnis sapientiae*, *fortitudinis* et *venustatis* innixo. Sed *philosophia systematica* frustra *Sapientiam*, sobria *Ecclesiae* cum *Statu publico*, pneumate non adiuta *coniunctio* incassum *Fortitudinem*, *Aesthetica classica* denique; cui se necessario *Romantica*, quam vocant, opponebat, aequaliter nostris diebus vix accomodata; *Sublimitatem* et *Venustatem* mundi non satis imitatur. Istae igitur *tres columnae* cadent, vix ad propylaea noui palatii adhibendae. Ergo *Architecti Formalistae* nostri in *transitu* aedificarunt. Ipsum apparebit *Palatium*, haud prius, quam habitatores adfuturi sint, digniores, de quibus *Sibylla Cumana* cecinit:

„Iam noua progenies coelo demittitur alto,
„Alter ab integro seclorum nascitur Ordo."

§. 2.

De octo factionibus, opinionem Seculi publicam, in vitae formis, quum emendandis, tum conseruandis, occupatam, discerpentibus.

Nimium temporis a viris probis, in regno veritatis pacem deposcentibus, inutiliter consumtum fuit, in variis illis *nominibus* explicandis, quibus *factiones* seculi *religiosae*, *ciuiles*, *politicae*, *literariaeque* vti solent, quum ad sua merita indigitanda, tum ad suos aduersarios, e contraria parte oppositos, confundendos. Satis est, eas factiones, quod negare neque possunt, neque volunt, reapse *factiones* esse, quippe quae vera forment *sodalitia*, siue publico siue claudestino modo sese in omni peruersitate adiuuantia, nisi expresso, certe tacito quodam consensu inita, ex intima animi indole et sententiâ. Scilicet omnis homo, auctoritatem quandam sibi arrogare gestiens, ceterum, propter virium imbecillitatem, proposito suo desperans, temporibus *factiosis* libenter fruitur, vt ab vna certe parte hominum audiatur, et breuem aliquam consequatur gloriolam. Quum enim ad *Extrema* res rediit, et bellum internecinum indictum est, *stulti* sunt isti *Iusti Medii*, qui, *vtram-*

que partem laudando, sperent, talia extreme opposita posse coniungi; *stultiores* fortasse, ceterum rectiores, qui clament, *vtramque partem*, hominibus *tertii* generis quietioribus rixosas molestias exhibentem, foras eiiciendam esse. Vbi enim *buccinae partium* insonuere, talis vox Iusti Medii est *φωνη βοῶντος εν τῇ ἐρημῳ*. *Anglia* centum, et quod excurrit, annos prius, quam reliqua Europa morata, has *turbas factionum* vidit, interque eas quasi consenuit. Quare *Swiftio* omnino assentiendum, rem iam olim experto, qui asseuerat, in factionum turbis *tria* modo loca esse satis sublimia, ex quibus vox Oratoris quietius ad populum perueniat, *suggestus sacer*, (honoris causâ) *theatrum ambulans* et *scala*, maleficum oratorem ducens ad fastigium *patibuli*.

Iam seculi *factiones* nunc temporis vigentes, omnesque ac singulae, *auctoritate quadam* popularique fauore particulari pollentes, etsi sese inuicem vehementissime oppugnent, sunt, *Octo*, nomine eius, quod sequuntur, summi cogitationum principii systematici, appellandae.

A. In *regno veritatis*

(verbi significatione, siue *philosophicâ*, siue *theologicâ*, siue *scientificâ*.)

1) **Formalismus rationalis,** oppositus 2) **Positiuismo historico-literali.**

B. In *statu publico interiori*, *ciuili*

3) **Liberalismus plebeius,** oppositus 4) **Aristocratismo, generis nobilitate priuilegiato.**

C. In *statu publico exteriore gentium*, *politico* in specie sic dicto

5) **Nationalismus pseudo-patrioticus** (res barbara verbis barbaris indigitanda) oppositus 6) **Dictaturae pseudocosmopoliticae** (siue monarchicae, siue foederatae, siue hierarchicae).

D. In *literis* et *artibus*

7) **Aestheticismus pseudo-pneumaticus,** oppositus 8) **Empirismo** et **Materialismo intellectuali,** pure **prosaico.**

Hi sunt illi *octo igniculi* (semina quasi) *opinionum humanarum*, nostris *diebus*, mox aperte variisque politicis coloribus distincti flagrantes, mox cineri doloso suppositi, vtroque modo, pacem animorum turbantes, inprimis autem statum, non solum illum *idea* pietatis conceptum, sed illum etiam *historico-politicum* Ecclesiae *Christianae*, contra aduersarios *internos* magis, quam externos, vix debiliter adhuc militantis, suffodientes. Quis in tantis litibus, non dico: *iudicem;* semper immodestum; quis, inquam, *arbitrum* modo agat, a partibus non explosum? Plurima tamen, quae dicenda erant, libere diximus in libro, germanice de *statu polemico* Ecclesiae, conscripto. Hunc librum; cuius rationem exteri quidam habuerunt, magis, quam populares, quin etiam quidam Catholici magis, quam Protestantes; *seculi homines*, scilicet vni istarum *octo opinionum* palmariarum suaeque gloriolae timentes, aut *allatrarunt*, aut *ignorare* simularunt. De singulorum quorundam

Theologorum venerabilium assensu, certe in summâ rerum obtento, non est huius loci ac temporis, nos gloriari. Vnum tamen adiicere omnis argumenti nunc tractati res et ratio postulat. *Fridericus Henricus Iacobi*, qui *seculum* illud eruditum, *literarium* et *ecclesiasticum*, de quo nunc inter nos agitur, ab eius incunabulis non sine eximio ingenii acumine obseruauerat; certe per L. annos *diutius*, quam auctor libri de *statu ecclesiae polemico*, inter virtutes et errores istius seculi versatus; in *literis*, haud multos menses ante mortem ad amicum datis, et post mortem viri editis, censuit, librum illum de statu Ecclesiae polemico, non viuis solum, sed veris etiam coloribus atque fidelibus, imaginem *seculi* ad unguem expressisse, quod iudicium, de illo libro latum, vtique eo erat admirabilius, quo saepius ille liber a sententia palmaria philosophi celeberrimi de *reuelatione* discessisset.

Hoc igitur loco, ad Indicem secularem *factionum* illarum explicatius exponendum, monuisse sufficiat, neque *Formalismum rationalem*, neque *Positiuismum historicum*, salutem humani generis, vlla in re promouere, multo minus illam *Ecclesiae Christianae* sanctam, sed latentem vim excitare et elicere posse. Etenim *Formalismus rationalis*, vti nuper denuo in libello de *philosophia morum* demonstrauimus, solam *rationis socialis*, naturalis, hypotheticae, si vis, pantheisticae, auctoritatem curat, cui *Iudaismo* et *Gentilismo* sese *Christi* propria *ratio*, non solum illa moralis, religiosa, humana, verum etiam illa *diuina*, *verbo* illuminata, opposuit. *Positiuismus* autem *mere historicus*, quem magna pars Orthodoxorum nostrorum fouet, Luthero tantum et Melanchtone exceptis, omnem *fidem*, plane *mortuam*, in *factis*, quasi in rebus modo olim gestis, *praeteritis*, credendis ponit, ipsam *pneumaticam dei praesentiam*, per omnia tempora futura se explicantem, fugâ mysticismi sobrie tollens, nunquam, ne e longinquo quidem vim *historiae reuelatae*, *viuaeque traditionis religiosae*, *ab historiae* profanae faece penitus separandam, intelligens. Quod ad reliquas illarum supra enumeratarum *factionum*, in societate hominum ipsoque animo humano residentium, attinet, eae iam Christi temporibus omnes *verbo diuinae veritatis*, a Christo prolato, obfuerunt. Sola illa *pseudo-pneumatica*, sane ingeniosa, *literaria* factio, noua, simplici *Christianae veritati*, aduersa, tanquam *vltima* et elegantissima *mali daemonis machina*, ab Europa illustriori, inprimis ab *aulis Angliae*, *Galliae* et *Germaniae* seculo praeterito promota, accessit. Quemadmodum iam olim malus humani generis genius vim *magicam* religiosam et Christianam imitatus est; *thaumaturgiâ* vsus, quae *nigra magia* vocari potest: sic denique *nostro* seculo Ille, *pneuma* Christi et Pauli superauit suo Pseudo-pneumate. Vix enim ac ne vix quidem putare possumus, vel ipsum Tacitum, re Christiana propius cognitâ, cum eodem contemtu de ea fuisse loquutum, quo Iudaeorum sordidam superstionem tractauit, cuius imaginem Politica viri erronea ipsi Christianae religioni adiunxerat. Nostris vero Pseudo-ingeniis criticis cuncta patent sacra volumina. Psalmos, Ioannis Euangelium, Miltonum euoluere licet. Nihilominus poësin sacram habent despicatui, inprimis Klopstockium, minus propter peccata poëtica, persequuntur, quam quod ausus sit, *primus Germanorum*, simplicitatem pietatis Christianae, sublimitate et maiestate sermonis non dico extollere, certe ita inuestire, vt in coetu moratiorum hominum, classica poësi excultorum, non sine dignitate apparere posset. Atqui haec ingenia in rebus, sen-

sum pulcri elicientibus, cognoscendis supremum fastigium culturae *aestheticae* superarunt, vt iure suo arbitrarentur, se *gustum venustatis* et *sublimitatis* .... quem sub nomine *taste*, *goût*, Angli et Galli paulo prius, quam Germani *ihr unmittelbares Geschmacksurtheil* Kantianum, a Klopstockio autem improbatum, celebrarunt .... habere purissimum, *immediatum* h. e. directe e coelis haustum. Itaque non poterant non illum *Criticismum* suum *aestheticum*, *pseudo-pneumaticum*, *nouae quasi religionis*, h. e. *εὐσεβειας pantheisticae* et Epicureae, *loco* colere, quidquid vero esset in re Christiana sublimitatis, cui pulcrae artes olim libenter fideles manus praebuerant, contemnere. Miro modo, ad omnem sensum sublimis et epicae dignitatis in animis populi exstinguendum, hos *aduersarios* Christi *pseudopneumaticos* adiuuit pars *Theologorum Christianorum*, illa, *intellectualismo* mere *prosaico* laborans, tum *orthodoxa*, inquam, tum *pietistica*, tum ipsa etiam illa, quae de *rationis scientificae* dominatu in rebus Christianis gloriatur. *Orthodoxi*, *sacris literis* tanquam glebae *adscripti*; illi inprimis, qui aduersus *Hierarchiam* et *cultum Catholicum* solemniorem ecclesiasticae militiae munera exercent officiosius; nescio ex qua *Psychologia empirica*, in cathedris Academicis docente, didicerunt, *intelligentiae humanae*, *prosaice* operantis, vnico standum esse iudicio, simul atque de *veritate* cognitionis et conscientiae humanae quaeratur, huic autem *intellectualismo sobrio* sese opponere *aliquam phantasiam*, mera somnia poëtica vel in ipso Platone creantem, et meras *ceremonias* in cultu publico suadentem, quippe cui placita concionatorum e suggestu sacro *εν ἀληθειᾳ* (numnam etiam *ἐν πνευματι*?) docte et eloquenter proposita, non satis arrideant. Scholis, quae a *Pietismo* nomen habent, vnice cordi est, omnem sensum sublimiorem humanae naturae, originis suae *diuinae* memoris, qui per fidem Christianam vere pneumaticam renasci possit, subter onere *culpae*, naturalisque prauitatis deprimere. Quocirca vix ac ne vix quidem sensum quendam maiestatis et venustatis diuinae in formis mundi naturalibus admittunt, poësin autem omnem longe a pomoeriis ecclesiae arcent, tanquam nimis superbientem et luxuriantem, praeter elegos miserabiles, exiguos, de culpa hominum expianda et redimenda, credo versuum imbecillitate animi humilitatem depingendo, nihil canentes. *Theologi* denique, apud quos *ratio systematica* in fidem dominatur, omnem consumunt operam in dogmatica sua ad systema vel Graecae vel recentioris cuiusdam philosophiae Academicae adaptanda, scilicet ne quid detrimenti capiat, per simplicitatem fidei Christianae, illa Graecorum, a Winkelmannis, Lessingiis, Goethiis et Schilleris celebrata auctoritas. Quod enim in eruditis Germaniae, qui sibi a Pedantismo cauent, maxime est mirandum; ipsi multi eorum, qui vel pietatem, vel doctrinam Christianam quam maxime profiterentur; nihilominus in cultura illa ingenii, a Goethio profecta, salutem humani generis posuerunt, ita vt de Diis Graeciae mallent cum *Schillero* errare, quam cum *Stollbergio* de deo Christiano vera dicere. Est enim Germanorum in vniuersum haec indoles, vt inferiori loco nati, quorum in grege procul dubio magna pars Eruditorum est annumeranda, minus cupiant in opibus ac priuilegiis exaequari viris, principibus, potissimis, praediuitibus, quam in liberaliore cultu ingenii. Igitur criticismus ille aestheticus, quod *quasi πνεῦμα*, *Geist*, vocare solent populares nostri, (Francogalli: Esprit) omnium Ordinum homines nunc ita penetrauit, vt

nusquam, ne in ipso Coetu Christiano, non possent non, Christi calicem cum poculis *illorum malorum daemonum* coniunctum haurire (1 Cor. 16. 21.). Quum enim temporibus Friderici M., Katharinae Secundae, et Iosephi II. summi ac potissimi viri, propter hypocrisin hierarchiae et dogmaticam arrogantiam Theologorum religioni Christianae male vellent, neque tamen auderent, plebeculam, frena semper mordentem, ab hac superstitione, quam vocabant, penitus liberare: viri prudentes non perspiciebant, penes omnes populos paululum moratiores, *Reformationem sacrorum ambitionem scientiae* et *culturae* etiam in cunctis fere vulgi hominibus ita excitasse, vt ne ille quidem *sobrius* ac *moderatus Christianismus*, ex purpureis pannis rationis socialis, theophilantropicae locisque communibus philosophiae moralis, fundamento suo carentis, consutus, qui plebeculae, in *speciem* ac sub forma *verbi diuini* offerebatur, huic placere amplius posset, immo vt in eum ipsum grauissima *Simulationis hypocriticae* suspicio caderet. Quid enim? Num et haec nostra plebecula poterat ignorare, Angliam, *octo* illorum, quae enumerauimus, generum factionibus interioribus, ante duo iam secula misere laceratam, aspectuque et conscientiâ tot et tantorum scelerum politicorum, morum, diuitiis tam funditus deprauatorum, ineptiarumque ecclesiasticarum ac literariarum, ad similitudinem vesaniae accedentium, permotam et convictam, iam pridem eo fuisse progressam, non solum in omni libertate philosophandi, sed etiam in dubitandi de omnibus rebus licentiâ, vt praeter euersam in animis hominum auctoritatem veritatis Christianae, *neruos* quoque omnis *virtutis incideret.* Hoc enim ipsissimum maximumque fuerat *Christianae* fidei beneficium; a Theologis, *mortuae* suae fidei *historicae* asscriptis, ceterum nihil, nisi naturae humanae prauitatem originariam, vel cum ipsis atheis coniunctim, demonstrare cogitantibus, plane non intellectum; nempe quod certe amici et discipuli Christi, secundum verba diuina, Euang. Ioann. c. 17. vs. 19, cum Christi sancta voluntate coniuncti, de puritate animi humani, per Christum recuperata, inter se nulli amplius dubitarent. Magna autem illa et *fortia* ingenia (Esprits forts), quibus Anglia, reliquam Europam profecto, hac in causa praecedens, florebat, exempla debilitatis et fragilitatis humanae, quae ne in sanctis quidem suis Christus Iudex excusasset, eo tantum consilio adhibuerunt, vt omnem virtutem hominis aliquo pretio, psychologicis rationibus definiendo, venalem dicerent, ipsaque, quae pro bonis habeantur, opera ex impuro fonte scaturire, omnemque sensum sancti et religiosi amoris, quo animus nutriatur, ad phantasmata et somnia fanatica esse remittendum. Huc accedebat adulatione et libidinibus radicitus corrupta illa in aulis principum vegetans *nobilitas*, quae quum in Gallia potissimum se pro flore populi haberet, venenatis suis exemplis etiam scriptores de moribus philosophantes non poterat non imbuere, vt isti in omnibus rebus ciuilibus et politicis nihil, praeter proprii emolumenti et gloriae studium, in domesticis, solas inquinatas nuptias videre quirent. Hinc; ex hoc inquam, rerum aulicarum et vrbanarum statu totus pendet *Heluetius atque Voltarius*, ita vt factio aristocratica in Gallia nullo non tempore frustra conaretur, culpam turbarum ciuilium seculi, *solis* scriptoribus, *liberalismo plebeio* addictis; sine magno sane ingenii dispendio loca ista sua communia, vtramque Rempublicam triuialibus *ratiocinationibus* impugnantia propagantibus; in acceptum referre. *Nobilitas generis* etiam in omni republica veterum Graeco-

rum et Romanorum honorabatur; scilicet illa, Imaginibus maiorum et censura publica atque educatione ad virtutem vocata et excitata. Illa *nobilitas* vero in populis Indo-Germanis et Francis, teste iam ipso Tacito, in seruitia aulica pronis, principis personam a populo seiungens, omnibus adulationis fauorisque assequendi artificiis, denique aularum tunc temporis luxuriosis ac dissolutis moribus semper corrupta fuit, inprimis autem efflata vanis istis ideis Aristotelicis et Indicis (*als Castenansicht*), alios mortales dominos, alios seruos, alios solertes, alios stupidos nasci, ordine morali politico et naturali in perpetuum sic iubente. Quamobrem viros; deorum quasi conciliis, ipsius naturae genetricis beneficio, iam in hoc orbe terrarum, admotos; nobilissimos decebat, de omnibus dubitare, quae seruili plebeculae credenda relinquerentur. Quis igitur spem fouere potuisset, hanc plebeculam *fidem* verbis *Christi* esse habituram, cum audiret: viros potissimos, loco sublimiori natos, *Voltarium* et *Heluetium* lectitare, cum *Mylord* Shaftesburio aliisque celeberrimis Britanniae ingeniis, conscientiae religiosae *impulsum*; qui *non fures* solum sed terrae etiam dominos legibus vincire ac male habere posset; ad libera venustatis Graecaeque elegantiae arbitria remittere? Fridericum M. Voltarii, *Katharinam* II. oracula *Dideroti* aure deuotâ bibere? Nemo enim istis temporibus in Gallia *philosophus* salutabatur, praeter eos, qui more *Encyclopaedistarum*, *virtutem a religione, religionem ab omni traditione sacra*, rerum *naturam* a *creatore suo* separarent, immo *supremum dei arbitrium* cum *aliquo Ordine mundi necessario* atque *aeterno* conflarent. Quid igitur mirum, hunc *Criticismum* philosophicum, *Aestheticum*, *pseudopneumaticum*, in Anglia politica, et in Gallia luxuriosâ natum, obscuriores etiam Syluas Germaniae penetrasse, nouae culturae cupidissimas, hanc vero saepe magis a virorum illustriori loco natorum iudicio et exemplo atque ab auctoritate scholarcharum et poëtarum, qui *claustra nobilitatis refregerant*, quam a veris et propriis literarum studiis exspectantes? Quid? Putatisne Kantii placita; propter nouam terminologiam scholasticam, quâ inuestita procedebant, diu neglecta; tandem ad summum auctoritatis fastigium apud nos peruenisse, nisi philosophus illustris, vti supra iam dictum, *vaccis* istis *aureis* seculi, *Formalismo Stoico* et *Pantheismo* scientifico sacra faciens, *ipsum dei creatoris* et *legislatoris conceptum*; quem *Wolfiana* et *Crusiana* philosophia intactum reliquerant; de medio ac centro philosophandi reinouisset? Num serio arbitremur, tantum numerum vatum et philosophorum et criticorum et theologorum in Germania celebritatem nominis nancisci potuisse; nisi muris scholarum dominantium scalas gloriae suae applicauissent; nisi in *vnius* istarum *Octo factionum* verba iurassent; nisi in bellis cum *Militiâ* Christi hierarchica et orthodoxa dogmatica, profecto non sine gloria quadam et vtilitate gestis, *Ipsissimo* tamen etiam *regi veritatis*, Christo, aliquid *auctoritatis pneumaticae* clam surripuissent, quod Graecae philosophiae systematicae et in vniuersum intelligentiae, ordinario humanoque tantum more philosophanti, tribuerent, quod, quam sit exiguum, nos in Neoplatonismo pythagorico advmbrando (De Virt. Card. Comm. III. et IV.) succincte, sed sufficienter ostendimus; nisi illi doctissimi viri deinceps, vt aiebant, *puro veritatis* historicae amore ducti, tam sedulo curauissent, ne intelligentia humana, nimirum semper sceptica, *per traditionem sacram*, cuius vim sublimiorem ingenia illa, crassissimo *Realismo* sopita, nunquam percepe-

runt, in aliqua re forte deciperetur? quasi id quod isti *historiam* suam *veram politicam* appellant, in ipsa rerum praesentiâ, hodieque, sicut olim, non scateat malitiosis *octo* factionum mendaciis; quasi *prouidentia* diuina, vt hos imbecillos eruditos efficaciae regni sui, per Christum reuelati et stabiliti, conuinceret, *tabulas chronologicas* edere debuisset, omni sphalmate typographico carentes? Quodsi vnquam purum illud, vnice diuinum, quod terra tulit, ingenium, homo ille, qui quum proprie nomine mere humano careat, a suis secundum scripturas *unctus rex veritatis* salutatus est; postquam tranquillum beatitatis aeternae gremium semel reliquerat, vt hominum generi fraterna et salutifera brachia, ex cruce tensa, porrigeret; dignaretur, hanc faecem turbidam et tenebrosam opinionum humanarum reuisere, ab *Octo* illis factiosis igniculis quotidie ad nauseam recoctam: nemo, coram mundi iudice, nudam animi sui miseriam clarius exhiberet, quam cuncta illa Ingenia aesthetico-critica, *pseudo-pneumatica*, istae Simiae sapientiae Stoicae, elegantiae Graecae Romanaeque virtutis, literarumque, quas vno ore *classicas* vocant; ceterum in imitatione sua seruili infelicissimae, quippe quae sibi persuadere poterant, solam viam stratam ad gloriam assequendam, esse viam triumphalem de Christo eiusque regno in perpetuum vigente, breui se, Graeca philosophiâ, dialectica et sceptica, poësique elatas, existimationi veritatis Christianae posse illudere, eiusque diuinam et sublimem simplicitatem despicatui habere, seque propterea viros *multi nominis* fore in seculo. *Pseudo-pneumatica* igitur illa recens *religio*, quae loco *Christi* et *Apostolorum*, *doctam* et *aestheticam educationem publicam gentium* solemniter suscipiebat, phantasma coeli poëticum pro *salute aeterna* vendens, certe in terris vnam et haud exiguam spem faciebat, suisque asseclis, paene fanaticis ostendebat, mortalem vitam omnium varietate bonorum augendi, elegantiaeque cultu exhilarandi. Verum enim vero quaerere licet ex *praefectis illis opinionis publicae*, de nulla re magis, quam de *restituenda* prisca *Attica cultura* somniantibus, quo *felicitatis* et *politurae moralis* fastigio populus Atheniensium; si in vitam eorum, in perpetuum defunctam, tanquam in speculum inspicimus; reapse constitutus appareat? „Rem tibi Socraticae poterunt ostendere Chartae“ solusque etiam Thucydides Historicorum *ὁ πολιχωτατος*. Num templa illa, quorum Athenis ruinae effodiuntur, de *vera* quadam Graecorum cultura tanto forte testantur, vt obliuisci queamus, his in templis Athenienses adorasse *deam paganam*, *deam tutelarem Politices gentilis*; quum *deus Christi*, ante Pauli Apostoli aduentum, vnam aram solam haberet, *ἀγνωστῳ θεῳ* inscriptam? Nec minori iam iure hos *ludimagistros* seculi *pseudo-pneumaticos* interrogari licet, quodnam potissimum genus iuuenum tam *καλῶς* et *σοφῶς* educauerint atque formauerint? Quid aliud ex manibus talium magistrorum *pseudo-pneumaticorum*, sophistarum more, mera ac nuda *ingenii* exercitia gymnasiastica commendantium, sapientiam autem religiosam et *diuinitus traditam* alto supercilio repellentium, poterat vnquam prodire, quam Cadmea proles, fraternae acies, iuuenes arrogantes, de maiori aut minori quadam iudicii critici facultate rixantes, nullam veritatem, sola, psittacorum vice, verba curantes, dexteritatem in loquendo et argumentando pro summo mentis humanae bono habentes, inter ipsas has *lautitias* vitae literariae et aestheticae nauseantes, saepeque, hoc taedio correptos ipsos sibi manus afferentes, scilicet vt vitam non gloriosam gloriose saltem terminare viderentur? Quanto rectius Apostolus ille

iudicauit, qui nil inepte molitur, scientiâ quantumuis *fragmentariâ* homines *intumescere!*" (1 Cor. 8. 1. 13. 9.) At quum hoc loco causa vtique postulet, vt res *aequâ lance* perpendantur, cum *Pseudo-pneumaticis nostris* poëticis et criticis ingeniis procul dubio in pari culpa est *factio*, illis, *secundum tabulas nostras*, *e contrario opposita*, quae *Intellectualismo*, mere *prosaico*, vitam deuouit. Haec est illa gens mortalium, ne draconis quidem dentibus passim seminata, sed boletorum instar ex media gleba pullulans, quae, quum ab *Aestheticis gens Philistaea* appellari soleat: vt gratiam referat, illos *Mysticorum* nomine salutat. Haec, inquam, gens ad corporeas et externas res vitae ordinandas aptissima, vitio gentium, quarum res grauissimae ac dignissimae *βαναυσως*, *formarum mechanicarum* auxilio adiuncto, administrari solent, in regionem *veritatis* religiosae, in ambitum causarum summarum Olympi politici, in artes, et literas exercendas sensim irrepit. Propter ingenii siue imbecillitatem, siue dexteritatem, in vnum modo minutarum rerum genus intentam, in cunctis vitae negotiis Ea *meras formas* quaerit, quum ad intelligendum perspicuas, tum ad agendum, sine longa cogitationum molestia, assuefactione commodas. Quod autem omnium est acerbissimum, sub specie simulatâ *Ordinis socialis* et *naturalis*, *formalismum* suum reliquis mortalibus, more despotico obtrudere cupit, vt *nihil* sublimius cogitari possit, quod Intelligentiam plebeiam excedat. Hinc eâdem sese facilitate diuersis quoque et oppositis *factionum* principiis adiungit. Nam et *Positiuismum* atque *Empirismum*, propter res ab experientiâ commodo modo praescriptas, et *Formalismum philosophicum* idealisticum, criticum, propter *inanitatem capitum*, in argumentis psychologicis, logicis, mathematicis, *ipsam veritatis essentiam* praetermittentium, aequali fauore complectitur. *Liberalismum plebeium* pro re nata eâdem sequitur cupiditate, qua *Aristocratismum.* De quanam enim re facilius est scribere ac disputare, nomine et auctoritate *rationis* humanae, quam de *libertate* omnium hominum, de emancipandis partibus religiosis, Iudaeisque, de liberandis conscientiis ab omni fidei formula, de *preli* seruitute tollenda, de tolerando Deismo et Atheismo, de maritandis Sacerdotibus, de legibus sola suffragiorum multitudine ferendis, de *studiis proprii elementi* in Ordinibus ciuitatum ad *concentum* quendam *publicum* reuocandis, atque de aliis *Liberalismi lautitiis*, eiusdem generis? At propterea eo facilius etiam nostri homines ad castra *Aristocratismi* transeunt, quatenus potissima eius fundamenta in solis *formis* societatis aulicae conseruandis; in separandis hominum ordinibus; in modo prudente, auctoritatem aliquam ciuilem cum specie dignitatis repraesentandi, et in habitu, viris illustriori loco natis ingenito, res bene iam digestas et praeparatas vno calami ictu perficiendi, forte sita esse videantur. Quod vero ad *Christi regnum* attinet, nostri homines, Christo, in terris versanti, erant infestissimi. Virum, auctoritate *pneumatis* diuini, opera diuina in terris, nullâ ordinis naturalis siue politici ratione habitâ, exigentem, tum *Pharisaei Positiuistae*, tum *Saducei Rationalistae* vno agmine petebant, praeterea *Nationalismo Iudaeo* timentes, dum Romani, a noua *superstitione, dictaturae suae* pseudo-cosmopoliticae timerent. Quum vero *gentilis religio*, mere *politica* et *pantheistica*, causa caderet, ac terrarum orbis, miraculo, satis velociter perfecto, radicitus renouatus, nouam *religionem* deposceret, non mere *politicis* rationibus inseruientem, sed *naturae cuidam morali hominis*

religiosi accomodatam; cultumque *publicum* flagitaret, *caritatis vinculum* inter *deum* et *homines* solemniter agnoscentem: homines nostri *Formalistae*, spe *doctae* cuiusdam *Theologiae*, in locum veteris Pharisaeismi suffectae, potissimum allecti, ciuilique auctoritate freti, etiam cum *Christo* in gratiam redierunt. Sed qualem Christum ista Theologia iam in Conciliis Episcoporum sibi informauerit, supra accuratius explicauimus. *Πνεῦμα* et *ἀληθειαν*, ipsumque religiosum dei colendi conceptum ad res mere *metaphysicas* transtulerunt, ad cuncta illa intelligentiae humanae, pro arbitrio philosophantis, spectra systematica; *Vim paedagogicam Regni diuini*, Christi nomine et auctoritate cum gentibus communicandam, quam vtique ipsi non perciperent; quantum poterant, Apostoli sententiae 1 Cor. 4, 20. refragantes; *verbis dogmaticis* temperarunt, quasi nunquam legissent 1 Thess. 5. 19. *το πνεῦμα μη σβεννυτε*. Euangelium de Dei beatitate (1 Tim. 1, 11.) per Christum participanda: „*ινα δια τουτων γενηθε θειας κοινωνοι φυσεως*" (2 Petr. 1, 4.) fidem sublimem, pure religiosam in homine excitans, minutissimarum traditionis sacrae *narrationum* expositione obscurarunt, quarum gratia *fidem* mere *historicam* a populis postulabant. Dum Stoica et Neoplatonica Philosophia, vna cum *poesi* Graecâ et Romanâ, in Apotheosi sua fragilis naturae humanae omnem modum excederet; dum Klopstockius, Vates, etiam Christianus, animi humani conscientiam, afflatu diuino elatam, Orionum splendori praeferre nullus dubitaret: *Formalistae* nostri, humi serpentes, non piae animae, sed reptilia animalia, vix ausi sunt cum Christianis nisi de remissione poenarum aeternarum, per Christum parta colloqui, scilicet vt omnes naturae humanae columnae modo ad perpendiculum *iustitiae* et *obedientiae ciuilis* exigerentur. Sedulo enim id cavendum erat, ne psalmis et prophetis nutritus animus mortalium, in Dei natura contemplanda, aliquem sensum *sublimitatis* arriperet, quem *intelligentia* istorum hominum, glebae prosaicae adscriptorum, vel ipsa etiam adhibita ope omnis psychologiae et philosophiae Academicae, capere nunquam posset. Quid mirum ab his et talibus praeceptoribus Christianis, siue orthodoxis, siue systematice philosophantibus, miseriam autem inanis intellectus, pusillique animi, pro pietate habentibus et vendentibus, populum se avertisse, secundum Apostoli vaticinium (2 Tim. 4, 3.) summique ingenii humani, quae dici vnquam aut commemorari possint, vestigia in *scena* theatri quaesiuisse, more Graecorum ab ingeniis pneumaticis instructa, vbi affectuum libertas nullâ rigidâ morum philosophiâ turbaretur, vbi humana natura non solum, animi magnitudine, cogitationum generositate, *diuinam* aequaret, sed etiam superaret, quum ab his diis gentilium nullum exemplum sapientiae, sed solum bonae fortunae adiumentum exspectaretur? vbi denique vitae externae et internae miseria, saepe criminum plena ... quod *maximum est mali daemonis pseudo-pneumatici artificium* .... per iocum et gratum artium lusum, velo quodam venustatis tegeretur, quasi animus reuera ab omni scelere esset expiatus? —

Breui, nostrâ Tabulâ *factionum* seculi diligentius perlustratâ, videmus eas omnes in *vnam solam* coire, oppositam nimirum et aduersam *pneumaticis*, quales Christus et Paulus voluit, hominibus, ergo *antipneumaticam*, licet eam quoque *psychicam* et mera *naturali* ratione vtentem cum Apostolo appelles. Neque enim per se ista *octo*, quae illae factiones pertinaciter sequuntur,

summa opinionum principia, quantumuis modum excedentia atque erronea, ipsa in *causa* sunt; sed solus *Formalismus*, facili negotio omnibus etiam sibi oppositis rebus applicandus, qui hos terrae filios plumbea compede vinctos tenet, quatenus vicissim omnibus his, etiam sibi oppositis, vitae principiis nutritur. Quodsi enim *tabulam* nostram *octo factionum* imagini chori tragici, saltantis, assimilas: sub oculos cadit, *antipneumaticos* nostros cum omnibus illis *octo* Eumenidibus vicissim saltasse. Itaque ab incunabulis Christianae religionis contra *Pneuma* Christi veramque *gentem dei* omnes hi homines *gentis Philistaeae* militarunt, sub amicitiae et inimicitiae aequali specie. Etenim hoc volunt homines isti minime mali; quoscunque illi factionum colores vicissim sequantur; nempe, vt *formarum solus ordo* seruetur, plane inanium, *pigritiae* et studiis emolumenti proprii consentaneus, dum de interiore rerum autem indole, essentia ac grauitate, semper molesta, nullus plane sermo incidat. Sic *Officiorum* omnium vestigia leuiter legunt, nulla reuera religiose premunt. In *formarum* elegantium amore et studio etiam cum ipsis e directo oppositis suis aduersariis, *Pseudopneumaticis* istis ingeniis, concordant, dummodo *verum Pneuma* illud odiosum exulet, omnibus hisce terrae filiis, afflatum diuinum respuentibus, aeque molestum. Nulla verior profecto horum hominum imago, inanitatem cordis, diuina veritate carentis, interdum etiam pseudo-pneumaticis artificiis abscondentium, quam quae Math. 23, 27. proponitur, ab vnico illo homine delineata, cuius vultus latebras animorum obscurissimas penetrabat: „*Sepulcra* sunt, inquit, *calce dealbata*, intus ossa et Spurcities." — Quomodo vnquam talis gens hominum, praeter *formas* sociales minutas, ad summum *pantheisticas*, in omni vita animi sublimiori nihil videntium et agnoscentium, ipsa sua vulgaria, hypocritica, de mundo legitime ordinato, iudicia obstinatissime non solum exsequentium, sed etiam reliquo coetui mortali per δεσποτικην ἀρχην exilis suae mediocritatis obtrudentium, intus suscipere atque interpretari quiret oracula diuina edita et profecta ab eo homine, qui non propterea venisse, consilioque coelesti missus esse censendus est, vt *nouam* forte *doctrinam*, *recentiorem legem*, *aptiorem* ceremoniarum *cultum* doceret et traderet; verum vt ipsissimo *exemplo vnius viuentis hominis*, fragilitati humanae ostenderet, *primo* quid significet, *esse deum*, quo agitante pectus humanum queat calescere, *secundo*, omnem *legem*, qua ab origine mundi mortales vterentur, vt de virtute, pietate, honestate, iustitia, aliquid sibi inuicem praeciperent, vel demonstrarent, *non esse hypocrisin* mere *formularem*, vanâque *eloquentiâ sophisticâ* obscurandam, vno verbo: *Pharisaeam*. Non tamen potuit tolerare id genus hominum in aequalibus, ipsisque similibus animantibus, *veracitatem*, *lucem*, *calorem*, *ingenuitatem*, *animi altitudinem*, ad res aeternas adspirantem, cunctos illos fructus Euangelii ex aureo quasi seculo, *puri pneumatis* afflatu, renascentes et repubescentes. *Christi* igitur, *amicitiam simulando*, *octo* autem malorum daemonum clandestinum commercium, semper continuatum, *dissimulando*; *vim* simplicem *illam Euangelii*, paterno dei consilio, *paedagogicam*, sensim in nouam *doctrinam dialecticam*, *positiue historicam*; internum *calorem* amoris diuini, in nouam *legem leuiticam literalem*; illam denique *pietatem* vere Christianam; quippe quae vitam in terris, exemplo Christi, tanquam meram *peregrinationem* capesseret; in nouas *ceremonias exteriores*, *solemni cultu publico*, *fixae* ciuitatum *sedi* adiunctas, mu-

tarunt. Per hos Christi amicos, quorum vnumquemque *Ἰσκαριωτην* haud iniuria appellabis, omnia callide ad *Gentilismum* et *Leuitismum* priscum in pace reducta redierunt, ita vt tota Institutio religiosa populorum ad normam et auream mediocritatem politicam, *sanctione* tamen *canonica* confirmatam, *Formalismi Aristotelici*, a *Luthero* frustra repudiati, denuo satis commode exigeretur. Exiuit ergo Christus *ὁ σπειρων του σπειρειν* (Math. 13. vs. 3.). At vero in *vario* humani *cordis* agro dominabatur *ὁ πονηρος*, *ἁρπαζων το ἐσπαρμενον* (l. c. vs. 19). Pace igitur doctissimorum ingeniorum dicendum est, quum in vna *octo factionum* saeculi promouenda tota se posuerunt, eos *δαιμονιον ἐχειν*, esse *βαρυδαιμονας*, vt cum Alcaeo loquamur, eos *κακοδαιμονεῖν*, *και τα πολλα γραμματα αὐτους εἰς μανιαν περιτρεπειν*, breui, id iis ipsum accidisse, quod Christi asseclis semper obiici solebat ab antimysticis huius mundi hominibus. Ad quaenam enim non scelera patranda *hae octo Furiae homines* nostrorum dierum instigarunt, quibusnam clandestinis et periculosis societatibus non implicarunt, quibusnam telis venenatis animas ipsorum Theologorum, quae se coelestes esse existimant, non instruxerunt, in quosnam errores, malitiae plenos et pertinaciae, non praecipitarunt, ita vt homines isti, haud amabili delusi insaniâ, nihil videant, nihil audiant, probent, laudent, nisi quod amussim ad praeiudicatas et inueteratas eorum opiniones conueniat? Ita aures habent, sed non audiunt, oculos, vt non videant, *ἱνα μη βλεπωσι, μηποτε ιδωσι . . . και ἐπιστρεψωσι* (Math. 13. vs. 15. vbi, *Vigeris* nostris satis memorabilis, deprehenditur, crudelis fatalisque *particularum* vsus). Sed *patronus* Philistaeorum et Formalistarum hominum non *audientium* antiquissimus omnia explicat. Vidi ego hunc scilicet *Pisis*, in *porticu campi sancti* a vetustissimis pictoribus Italicis depictum, muros templi Christiani exteriores praeterlabentem, unguiculis autem violenter aures suas satis longas occludentem, ne piarum animarum de propria sapientia desperantium, dei autem auxilia sibi clara voce inuocantium, forte cantum perciperet; arte musicâ procul dubio melius eruditus, quam philosophiâ religiosâ. Ceterum ne *summa sua Serenitas philosophiae secularis*, aspectu atri istius; cui inseruit; Philistini principis, quem autem, nisi in scena, oculis cernere non multum curat, nimium turbetur: sciendum est, iam Christi temporibus illum (Ephes. 2, 21.) *ἀρχοντα της ἐξουσιας του ἀερος*; quem solus Christus (Euang. Ioann. c. 14. vs. 30.) vna cum mundo politicomorali vicerat; Genium Seculi *τον πολιτικωτατον*, eodem modo atque in *nostra tabula*, per *octo* potissimum *daimonia*, inferiora quasi et singulares prouincias administrantia, animis humanis esse operatum (Math. c. 12. vs. 45). Stupenda Theologorum nostrorum doctissimorum eruditio, omni de re peregrina prius, quam de rebus, quae *intus* in animo humano aguntur, certior facta, procul dubio non poterit non, ex Magiae Persicae annalibus *numerum κακοδαιμονων octonarium*, certe septenarium (quis enim aulae infernalis catalogum inspexit?) deriuare. Nobis sufficiat, ex *tabula factionum* Seculi, omnis malitiae plenarum, praeiudicatasque suas opiniones: per se ex parte modo errantes: tanquam summa vitae praecepta, veneno cordis tingentium, perspexisse, exercitum malorum geniorum, humanae erga deum voluntati insidias et calamitatem struentium, ab *octo* semper *praefectis* aut tribunis esse imperatum. Vix praeter nos, quippe qui de *virtutibus cardinalibus*, quarum numerum *quaternarium* antiquitas venerabatur, copiose ad nauseam scribimus, vllus alius

audere posset coniecturam, humana natura profecto *dignissimam*, scilicet ad *vnam* virtutem cardinalem inter homines euertendam iam *duos κακοδαιμονας*, opinionum humanarum corruptarum praefectos, requiri. Hoc interea modo commemoramus, illam *prauitatem*, quae in animo humano conglomorata deprehenditur, a nobis iam alio loco (*Gott im Bewusstsein S. 564—581.*) in *Elementa septem minutiora*, nihilominus et *visibilia* adhuc et *ponderabilia*, *more Chemicorum*, esse dissolutam, diuisam, et partitam, quae singula ad *singulas factiones nostras* satis bene respondent atque conueniunt. Quo in loco *non satis expressis verbis* ac *literis* possumus id reuocare in memoriam, non esse hic vnquam sermonem de *ipsis octo* hisce *vitae principiis*, *quatenus* ab vno latere *tabulae* possita in solos *errores mentis* vergunt, qui honestissimis quoque et ingeniosissimis hominibus multas ob caussas adhaerere possunt, verum *quatenus* hae *octo* praeiudicatae *opiniones*, *factiosis* temporibus, *escae* sunt, quibus *animus* a *malo* genio, aduersario *pneumatis diuini puraeque* religionis, capitur et, sublata omni caritate erga deum et homines, in *vitia* et scelera flectitur. Sic *Formalismus superbiam voluntatis humanae* nutrit, dei auctoritatem tollentis, tanquam rationalis autonomicus. *Positiuismus* in omne *odium lucis* (in *Obscurantismum*) pronus; *Liberalismus* in *arbitrium liberrimum* omnemque praeceps *licentiam*; per *Aristocratismum* et *Aestheticismum* altus spiritus accedit et libido, nobilitatis, et ingenii excellentiâ *dominandi*. *Nationalismus odium* et *discordiam* disseminat. *Dictatura Mundi* affectata *Absolutismum* vult, singularem omnem gentium vitam *in Nihilum vertentem*. *Empirismus* denique *intellectualis, prosaicus* omnino *pigritiam moralem*, *auaritiam* et *Studia proprii emolumenti* in rebus mundanis (*die materiellen Interessen*) promouet. Si his deinceps igitur *septem Elementis prauae voluntatis daimoniacis*, *octauum* addis *daimona*, subtilissimum, *inuisibilem*, quem Chemia *philosophiae religiosae* nunquam capiet, quippe omnes reliquas formas induentem, vt *pneuma diuinum veritatis* in terris exstinguat: habes nostrum *Pandaemonium*, quod inter poëtas theologos *Miltonus* optimis designauit characteribus. Quidquid eius rei sit; *malus* ille *Genius* antipneumaticus, qui in atmosphaera terrestri, societatem humanam stipante et vrgente, mox claudestinis artibus mox publice, *pseudo-pneumatico* ornatu, quem iam Lutherus et Shakespearius notauere, superbiens, dominatur, frustra nobis id persuadere semper voluit, per prophetas suos, philosophos: *vitia cordis humani* solis *sensuum illecebris* et *fragilitati* deberi. *Sensus* nulla sunt in culpa. *Sensus* nobis a rerum natura, eo, vt videtur, consilio, fuerunt attributi, vt nobiscum de beneficiis Creatoris communicarent, minime vero, vt ipsam *arbitrii nostri* et *stultitiae pantheisticae culpam* sustinerent illiusque *malitiae*, et *pigritiae*, quae in *societate* humana; *ordinem moralem* vbique terrarum magis simulando quam praestando; nullo non tempore in perniciem generis humani, per eas *delusi*, emerserunt. Qua in causa, praetermisso Kantio non penitus ab eadem sententiâ abhorrente, mihi sola sufficit alleganda Apostoli Pauli auctoritas. Nullum enim, si verba forte de *caritate*, cognitionem superante excipis, sublimius vnquam verbum protulit Paulus Apostolus, homo philosophus simulque *pneumaticus*, quam illud Ephes. 6, 12. *ὁτι οὐκ ἐστιν ἡμῖν ἡ παλη προς αἱμα και σαρκα, ἀλλα προς τας ἀρχας, προς τας ἐξουσιας προς τους κοσμοκρατορας τοῦ σκοτους τοῦ αἰῶνος τουτου, προς τα πνευματι-*

κα τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ... Quomodo autem *Theologia seculi nostri* auderet, haec verba, ceterum vestigia Christi ipsius prementia, oculis *philosophiae philanthropicae* seculi subiicere? „*Quod pretium speret, pro tam furialibus ausis?*" *Κακοδαίμονας* depictos, quemadmodum Angelos depictos, a societate moratiorum et elegantiorum hominum iam pridem ad fabulas *relegauimus*. Hominis *infinita* natura nullo alio morbo laborat, nisi *sensuum* nimium *circumscriptorum*, et *paulo nimis titillantium* cancellis! Sed pace huius Philosophematis pantheistici philantropici, ab eximia *humanitate seculi*, de origine mali moralis, prolati; addimus alia verba Apostoli: „*Ἀποκαλύπτεται ὀργὴ θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων.* Rom. c. 1. vs. 18. Est profecto quidam hominibus, consuetudine praua factiose dissociatis, *pruritus*, simplicitatem *veritatis*, *dialecticis*, *scepticis* et *pseudopneumaticis* artificiis impediendi; quoniam *iustum* putant, se ab *vna parte* modum excedere, quum, ab *parte opposita* ille excedatur. Verum enim vero panditur longe lateque in sublimiori regione mundi purus quidam *aether veritatis*, non turbatus a clamoribus hisce rixosis *octo* illarum factionum, quae, se *salem* et *florem*, *eruditionem* et *cultum* terrae esse, existimare non desinunt. Sed *sal* hoc terrarum aliquando *absurdum* factum iri, iam Christus vaticinatus est. Quis igitur tolerabit diutius, daimonia, ex crassis orci nebulis nata, *regnum* illud *sanctum* ac *serenum veritatis religiosae*; belli intestini ferro et incendio; vastare, quod iam fere per *duo annorum millia* optimae humani generis parti firmissimo vitae religiosae fuit fundamento? Illa ipsa quidem *daimonia* nunquam erunt nescia, venturum esse aliquem iudicem, cui potestas sit data in coelis ac terra. *Sciunt* et *tremunt* Iacob. 2. vs. 19. Nostri vero aduersarii *pneumatis diuini*, prae nimia sua *scientia* elegantiori, quâ a malis suis damonibus deluduntur, iam *nesciunt*, aliquid in coelis vel in terra *verum* esse. Non a Turcis igitur vastatur nunc temporis Ecclesia, *regnum verbi diuini pneumaticum*, sed ab ipsis *Christianis antipneumaticis*, in *factiones operarias*, *banausas*, discedentibus, quarum nulla *vim paedagogicam verbi diuini* reuera sentit; extimescunt omnes. „Quodsi vero, inquis, *donum* illud *mysticum*, *pneumatis*, quod tam copiose celebratur, a *gratia* diuina *sola* pendet; cur vtique desideratur?" Respondemus, Alexandrum quidem Seuerum Imperatorem, inter alios deos *gentiles*, in sacrario suo *Imaginem Christi quoque* coluisse; talia vero non decere *hominem Christianum*. Eiiciant igitur nostri *Antipneumatici* et *Pseudo-pneumatica* ingenia, ante omnia, illos suos, quibus possidentur, quos in Sacrario mentis ac cordis superstitiose colunt, *penates*; illa daimonia, inter se tam fortiter pugnantia, vt *solum veritatis* sub pedibus tremat; illa, inquam, *idola Graeca* et *Romana*: 1) *Speculationis rationalis*, 2) *Stupendae Eruditionis historicae* Alexandrinae, mentes obscurantis, obtundentis, 3) *Demagogicae licentiae* et 4) *Aristocraticae praestantiae*, nobilitate generis, priuilegiatae 5) *Pseudo-patriosmi*, de nationis dignitate, aliis gentibus praeferenda, perdite litigantis 6) *Dictaturae pseudo-cosmopoliticae*, tam *publicae*, ... quae a Romano in nostra castra *Politica* migrauit Imperio, neque cum Napoleone ipso exspirauit, ... quam *clandestinae*, quae per sodalitia mysteriosa exercetur 7) *Pseudopneumatis aesthetici*, misera ingenia oestro concitantis, denique ac prae ceteris 8) *Intelligentiae* illius mere *prosaicae*, *glebae terrestris vtilitatis*

adscriptae, cuncta spernentis, quae vulgi captum forte aut dialecticam sophisticam superant . . . . „Quid statis? Nolint. Atqui licet esse beatis." Hi igitur homines, qui non audiunt auribus, non vident oculis, praeter suas praeiudicatas, quas intus fouent, opiniones: pro *mortuis sunt habendi* et *declarandi* in *veritatis* regno. Ipsi clauserunt domum cordis, penatibus gentilibus stipatam, *pneumati diuino*, quem Christiana gens olim *creatorem spiritum* appellauerat, ad templa eum inuitando, vt veniret, et ossa mortua genitabili aurâ resuscitaret. *Ὀψονται εἰς ὃν ἐξεκεντησαν* Eu. Ioan. 19. vs. 37. Regnum igitur *diuini verbi*, *coelestis veritatis*, claudetur, *και τοῖς πυλῶσιν εἰσελθωσιν εἰς την πολιν* . . . *ἔξω δε πᾶς ὁ φιλῶν και ποιῶν ψεῦδος*, *ἔξω δε οἱ κυνες*. Apocalyps. 22, 15.

§. 3.

De Seculi moribus ac legibus.

Dicebamus paulo ante, Encyclopaedistarum Philosophiam, quae primum illud lumen seculo nostro in Gallia accenderat; quod etiam, tanquam *κυρια δοξα*, scholarum Kantianismi, Fichtianismi et Absolutismi in Germania diu splenduit; cunctis ingenii viribus in eo alloborasse, vt *virtutem socialem* ab omni *fidei religiosae persuasione*, *naturaeque* rerum *ordinem* a *creatoris sapientia* seiungeret. Qua in re Atheismi potissimvm causa agebatur, cuius in cogitationibus pantheisticis sublimitas, inque omni vitâ, generosa honestas, praemia et beatitatem coeli Christiani dedignata, non satis poterat celebrari. Remotâ igitur, etiam in Christiana religione, illâ cunctâ *superstitione;* quae sane sub regiminis Ecclesiastici auspiciis, ipso vehementer id reprobante Luthero, ita increuerat, vt omnis fidei, per sacram traditionem propagatae, vis religiosa, paterno summi numinis consilio, ad educandum genus humanum, temporibus antiqui et noui foederis aequaliter comparata, in meram Chronicorum credendam auctoritatem transiret; nihilominus non sine summa laude et mentione honorifica de *morum praeceptis et doctrina morali religionis Christianae* loquebantur (*de la morale du Christianisme*). At Philosophi nostri minime mali non viderant, se ad illam, quam vocabant *disciplinam moralem Christi*, cuncta ea ipsisssima retulisse, quaecunque ad *veritatem conscientiae religiosae*, vi *voluntatis*, non caecae, sed *intelligentiâ* quadam vtentis, confirmandam, pertinent. Quis poterit totum humanum genus, in folle quasi, amare, quod, vt philosophi isti ipsi minime negabant, studio proprii emolumenti vnice ductum, malis daemonibus exagitaretur? Iram ab aduersariis nostris in nobis forte excitam animi altitudine esse compescendam vel Stoicus Seneca praecepit. At dei ipsius aduersarios, qua tales, caritate complecti, peruersitatem eorum adiuuare, tales homines *fratrum* loco colere ac diligere, qui *patris*, non dico solum, auctoritatem, sed ipsam etiam caritatem ac liberam gratiam respuunt, id Christus certe nusquam, neque exemplo neque praeceptis docuit; horum inimicorum caecitatis, in precibus, coram deo, effusis, quantumuis miseratus. In vniuersum ille Christus, qui nobis per *traditionem sacram* Euangelii innotuit, non erat *morum praeceptor*, neque *nouae doctrinae theologicae inuentor*, vel *ceremoniarum publicarum reformator*. Fatis diuinis trahentibus *religionis vim*, in animo humano sitam,

latentem explicuit, vitae mortisque exemplo demonstrauit, illustrauit, et cum discipulis suis pneuma veritatis diuinae participauit. Omnia illa *opera*, quae *bona* appellant, quibus mortales sese in vitae exterioris miseriis adiuuant, quorum gloria et hominibus irreligiosis adhaerere potest, quae a *ratione sociali humana, nomine* atque auctoritate *doctrinae morum*, copiose praecipiuntur, a Paulo, Apostolo *pneumatico* (1 Cor. 13.), pro invtilibus habentur, nisi ex puro fonte *caritatis* illius promanauerint, quae *deum* cum *humano genere* per secula seculorum coniungit. Ea quae Apostolis suis Christus onera imposuit, vitae genus, fidei propagandae causa iis praescriptum, non ad vniversos mundi populos, non ad ciues singularum rerumpublicarum pertinet, sed ad ipsam *Christi militiam*, quam sibi separatim elegerat. Paulus manifesto (1 Cor. 6, 12.) libertatem Euangelicam a vinculis *leuiticae istius doctrinae morum*, vindicauit, quae simpliciter *negatiua*, in solo *vetando*, legum criminalium more, occupatur. Homo, qui ad vitam ordinandam vim religionis Euangelicam adhibet, eamque fidem, *vere historicam*, intus colit, quae *dei prouidentiae* debetur, ex vna parte vitam mortalem non onerabit onere innumerorum praeceptorum socialium, naturae simplicitatem cohibentium, poenasque minantium, neque ex altera parte poterit sceleribus et impuris moribus teneri, omni fidei pneumaticae aduersis. Atque hac in re sane *vis religiosa*, per traditionem sacram *noui foederis* propagata, primis praesertim Ecclesiae temporibus, procul omni dubio, magis valuit ad *mores* emendandos eorum ipsorum, qui *sancti* et *religiosi* in scriptis biblicis, propter *fidem* suam, appellantur, hominum, quam *religio veteris testamenti*. Ad nauseam audiuimus, a *religionis* in bibliis explicatae *aduersariis*, Dauidem et Salomonem, aliosque, qui *fideles deique amici* dicerentur, non sine *sceleris infamia* vitam transegisse. Quis tamen, in media illa ipsa barbara et remota antiquitate non admiretur vim verbi prophetici, quod vel illos *dei amicos*, scelere contaminatos, ad *poenitentiam* aliquam agendam coëgit, dum nostra polita aetate, simulatae humanitatis et vrbanitatis plena, in hominibus, famae quadam celebritate et potestate claris, similia scelera *velo* modesto et hypocritico tegi soleant, ita vt nemo certe audeat, ea publice improbare? Ceterum omnis instituti Christiani ratio, ad gentes, vitae socialis moribus vel maxime differentes, vno eodemque vinculo fidei, verbo traditionis diuinae illuminatae coniungendas, vnice comparata, per se iam ferre videtur, vt *natura religiosa* hominum, pigro somno sopita, excitetur: minime vero, vt *publica* quaedam *vitae socialis forma* ceremoniis et praeceptis singularibus, ritu Mosaicae siue Mohammedicae religionis, in vlla terrarum angulo stabiliatur. *Filium dei* ipsissimum in varias reprehensiones philosophorum politicorum, formalistarum, incurrere notum est, quod *communem memoriam diuinae originis, educationisque ab ipso deo patre, mundum administrantis profectae*, in lucem, animosque humanos reuocare maluerit, quam de *vinculo familiarum naturali* et *ciuili*; quod per se, cum *Euangelio* regnoque dei, secundum expressa Christi verba, *nihil commune* habet; de ordine vitae domesticae, de connubiorum formis patriaque potestate copiose praecipere et noua eius rei caussa fundare instituta. Atqui *Cecrops*, *Romulus*, *Numa* aliique legislatores recte tamen sensisse existimandi sunt, qui in vita familiari fundamentum vitae *ciuilis* situm esse, legibus et ceremoniis religiosis, declarauerint. Christus a fidelibus suis *amicitiam*

religiosam postulabat, quum sine hac, cum *proximis*, quantum potest, iunctâ et cultâ amicitiâ, *caritas* erga totum *humanum genus* euanesceret. Videant gentes, quae *Christo nomen dederunt*, quomodo huic *summo vitae Christianae socialis praecepto* instituta sua et mores, pro diuerso, quod sequuntur vitae genere, semper magis accommodent atque subiungant. Ac si in scholis theologorum de *doctrina morum Christiana*, a *fide* ipsa *interiore* seiuncta, sermo est: ea, si quid video, nullum aliud argumentum tractare poterit, praeter illam vitae socialis et ciuilis, tam *publicae*, quam *priuatae* institutionem, quae vim *verbi diuini* intus agentem *nusquam impediat*. Vix acerbissimus *Hierarchiae* aduersarius poterit negare, illam *medio aeuo* in hoc negotio non sine prudentia esse versatam. Nimirum *Ecclesiam Corpori* assimilabat, variis distincto partibus, cum capite et corde propius coniunctis, vel ab illis remotioribus. 2 Tim. 2, 20. *Militiam Christi* instituerat, quae vitam Apostolicam, in terris peregrinantem, rigidam, in *paupertate*, *castitate* et *obedientia* perageret, sed pro dolor! propter multitudinem Formalistarum, banausorum hominum, ei adiunctam, haud raro sese pigritiae et hypocrisi tradebat. Laicorum mores e contrario Graecae et reapse gentili saepe permittebat licentiae, quam censura Ecclesiastica, sine omni seuero *pietatis rigore*, cultu solemni, e longinquo tantum moderabatur. *Sacrorum* vero *Emendatio*, *nouique mundi inuentio*, cognitionem et vitam exteriorem humanam multis auxit diuitiis, animosque ad scientiam, ad mercaturam, ad industriam operariam, et ad luxuriosam elegantiam conuertit. Quum in *Anglia* potissimum *Pietismus* siue *Methodismus* frustra allaboraret, hoc plane nouum vitae genus, (*the high life*) ad simplicitatem religiosam primae Ecclesiae, et ad *Euangelium pauperum*, a Christo praedicatum, accomodare: iam Swiftius, qui in libro supra allegato, Christianismum *nomine* (*Namenchristenthum*) censebat, non esse abrogandum, dum *veri Christianismi* ipsam *existentiam negaret*, igitur ridendo *verum* dicebat; significauit, haec, in extremis opposita, vitae consilia, in quibus miscendis tunc temporis Anglia mirifice sibi placebat, mutuo se tollere, atque vix in formis cultus exterioribus frigidis *ceremoniisque diei dominicae* secum concordare. „Christianos *mores*, si qui fuerunt, *piorum* hominum, *reuocare* esset: *constitutionem Angliae* euertere, aulas principum et mercatorum conuentus, forum et curiam et tribunal (Math. 5, 40.) euacuare, deuastare, vrbemque incendere et relinquere.“ Itaque ipsa sincera *pietas Christiana* non poterat non; *sectarum* et *separatistarum* nomen minime aspernata, a *seculi* improbitate, et a *religione publica sociali*, vitae luxuriosae indulgente, se sensim seiungere, minoribusque se includere piorum coetibus. *Seculorum* ipsorum, vix *praeteritorum*, *mores* igitur per gentium commercia, *mercaturam* exercentia et per imitationem apud populos Christiani nominis introducti, neque ad *propriam* et peculiarem cuiuslibet populi *indolem*, neque ad *vim Euangelii paedagogicam* exprimendam satis apti, vnico *Formalismo philosophico* subiungebantur, qui *naturae humanae* vires et facultates ingenitas, anthropologice et psychologice definiendas, per *disciplinam publicam* et *educationem* quam *celerrime* esse explicandas censeret, id vnum vnice nesciens, quaenam illa sit constans conscientiae *humanae essentialis*, non sola *formalis*, *veritas*, e qua totus *homo* pendeat; illam volo *naturam religiosam*, quae nullâ philosophiâ speculatiuâ, sed vnica vi *Euangelii* potuerat innotescere. Iam illae

cosmo-politicae definitiones humanae naturae, moresque cultiores, iis consentanei, in vna sane re cum fide ac pietate Euangelica conspirabant, nempe in idea vitae *peregrinantis*, et in *liberatione* a *vinculis moralibus Nationalismi*, priscos Romanos potissimum imitantis. Frustra doctissima Seculi ingenia *Educationem publicam nationalem*; Spartanorum potissimum ritu inchoandam; somniarunt, aut sub *Napoleone* putabant *educationem* popularem vere *militarem Imperii Romani* esse redituram. Satis constat, istum Seculi leonem, omnia in arma conuertentem, non eloquentibus illis Academiarum germanicarum de *libertate* gentium declamationibus, sed *soli mercaturae* succubuisse, *dictaturam politicam*, nouam *monarchiam mundi vniuersalem* respuenti. Quodsi in bellis Punicis Carthaginienses Romanos debellassent: nullum vnquam tale *militare* Imperium habuissemus, quali Roma suberbiit, cuius tamen beneficio notio et idea *naturae humanae religiosae* barbaris gentibus cum cultu solemni quasi obtrudebatur. Nunc *noua Carthago nouorum Romanorum Imperatorem* debellauit. Vbique *mores* mere *cosmopolitici* adoptantur, et vna cum *mercatura* potissimum *vis Euangelii* in *recentiores mundi partes*, oceano dissociatas, penetrauit.

Iam si ad *leges seculi* respicimus, hoc loco non intelligitur ἀχθος illud *καμηλων πολλῶν*, quod Tacitus his verbis damnauit: „*plurimae leges* corruptissimâ republicâ" de quo, ope *iuris naturae*; in *artem redigendi*; ad simplicitatem reuocando, simili occasione a. 1817. iam libellum edidimus, cuius nuper Germanica etiam prodiit Paraphrasis. Sermo est de *grauissimis* illis *institutis*, quibus omnem vitam suam ciuilem renouare populi Europae nostra aetate non sine summis periculis conati et experti sunt. *Positiuistae* (§. 2.) ipsam adeo facultatem tales *leges* summas concinnandi *seculo nostro* penitus quasi abiudicant. Si quidem ad solas turbas, ab *octo* istis factionibus motas, respiciunt, et ad *merum* seculi *formalismum*, vbique terrarum easdem *formas* facili negotio excogitantem et repetentem: haud plane iniuria. Ipse in Politicis Aristoteles, *legibus*, aequam et iustam distributionem iurium declarantibus, permultum tribuens, non potuit non *moris* consuetudinem disciplinamque pari certe passu cum *legibus* ambulantem et perpetuum exercitium iis adiungere. *Mores* enim ad *liberam voluntatem*, explicandam pertinent, quae dexteritate exercitâ ad *habitum* peruenit. *Leges* autem optimae ab *Intelligentia* proficiscuntur, quae, vt Cicero de legibus egregie vidit, *rationem* morum, iam introductorum, nisi plane peruersi sunt, a norma quadam diuina *iustitiae* deriuare debet. Quemadmodum igitur in *conscientia hominis religiosa*, cui Systema virtutum Cardinalium innititur (Comment. I.) *voluntatis habitus moralis* ab *intelligentia* omnino est seiungendus: sic a *morum fortitudine sapientia legum* etiam differt. Iam potest quidem haec *sapientia legislatoria* mutare antiqua, et noua inuehere. Non autem negligat aut rumpere conetur commune illud ac perpetuum *vinculum*, quo *legum rationes* cum *moribus* sensim introductis continentur. Male igitur nobiscum ageretur, si cum *Positiuistis nostris*, Ictis, vellemus meliores demum *mores* exspectare, ante leges condendas. Sed *nouae* tamen *leges*, *institutis*, ad mores voluntario motu exercendos *aptis*, sunt adiuandae. Nemo non intelligit, nos, quum de *communi morum* et *legum* vinculo deque *institutis publicis*, hoc respectu formandis, loquimur: de *educatione* et *disciplina quadam populari* et *publica loqui*, quâ non solum aetas tenerior *puerilis*, vel *plebe-*

cula, minus culta; sed omnis in ciuitate degens homo, non sine *libertate* tamen *voluntatis* exerceatur. Ac solet illa quidem Institutio interdum hodie haud iniuria *Volkserziehung* appellari; sed toto tamen coelo ab illis somniis *Nationalismi* paedagogicis (*Nationalerziehung*) differt. Viuimus enim in *Seculo cosmo-politico*, gentes cultiores omnes praeceptis *humanitatis* commercioque cogitationum et negotiorum celerrime iungente, et *nationalem* istam *indolem*, quae per *dictaturam politicam* in alias gentes forte dominari, ceterum, domesticas res suas, in nescio quo terrarum angulo, reliquis praeferri cuperet, ad *Abderitas* ablegante.

§. 4.

De communi morum ac legum vinculo, h. e. de educatione populi et disciplina publica, apud gentes Christianas ex paterna dei potestate, vim Euangelii Paedagogicam exercente, nulla Emancipatione vnquam emittendâ.

Cunctae gentes, quae *Christo*, regi, in regno veritatis religiosae regnanti, *nomen* dederunt, *baptismatis* foedere; non per hypocrisin, vt certe speratur, cum *Ecclesia vniuersa* Christiana icto; solemniter videntur spopondisse, se voci *paedagogicae* traditionis sacrae Euangelii; qua *viua* fide ponitur, summum mundi administratorem, tanquam educatorem humani generis, per decursum aetatum vario modo voluntatem suam reuelando ad salutem ducere; nunquam aures et corda esse praeclusuras. Iam etsi, quantumuis generalibus quibusdam *formis humanitatis* exculti, *mores seculi* neque ex sententia *Pietismi* seu *Methodismi*, neque mente *Hierarchiae*, cuius oracula sub *finem medii aeui* sensim obmutuerunt, *Christiani* vocari amplius queant: id solum tamen ante omnia in honorem ac Gloriam dei Educatoris cauendum atque videndum est, ne vlla vsquam *popularis educatio* vel disciplina publica, vno vel pluribus ex *octo* illis *vitae* principiis *daimoniacis* (§. 2.) tanquam morbo animi correpta, laboret, quae genuinam, puram et vnicam vim Euangelii paedagogicam perhorrescunt, exstinguunt, *diuinoque pneumati* manifesto repugnant. Fac enim populos, vitio culturae publicae, aut in Ideologiae speculatiuae ratiocinationes systematicas et scholasticas, aut in stuporem Positiuismi mere historici, solum Mundi decursum sine consilio adorantis, inclinare; aut ad liberalismum plebeium daemagogicum propagandum, aut ad seruile iugum tolerandum formari; aut studio immoderato teneri, nationis et patriae honorem promouendi, aut dictaturae cuidam vniuersali politicae, h. e. pseudo-cosmopoliticae inseruire; denique aut *iudicium* quoddam *aestheticum* axiomaticum, aut *intellectum*, reflexione empirica procedentem, industrium, glebae prosaicae adscriptum explicare et colere: quolibet modo hac vita ciuili, negotiorum et factionum plena, in naturam hominis sublimiorem, reapse *liberam* et vere *religiosam* explicandam, peccatur; quippe quae res *humanas*, vt ipse fertur Pythagoras dixisse, *praetereundo*, tanquam in *peregrinatione*, contemplata, nunquam maius aliquod iis pretium attribuit, quam *diuinis*, deique bonam voluntatem et paternum in fatis humani generis probatum consilium, constantemque diuini numinis fidem, veritatem, caritatem, fragilitati mendaci *societatis humanae* praefert, in omnibus dissentientis ac vacillantis. Hi ergo sunt illi fructus *solius* Euangelii, animum aeterna pace replentes, qui tamen nec so-

lis cultus publici obseruatis ceremoniis, nec dogmatica et historica persuasione, logico ordine exposita, nec verbis conceptis piae meditationis continuo repetitis, colliguntur, sed *pura mente*, *octo inprimis* istarum *factionum* erroribus, libidinibus, negotiis operosis *vacuâ*. Etsi igitur potestati *ciuili* cuiuslibet populi ius datum, *institutione* populari et legibus *mores* eius pro indole ciuili et vitae genere formandi; *Liberalismus* et *Nationalismus* Gallicus *foedus baptismatis* aperte fregerat, quod certe Liberalismus Belgicus et Mexicanus non sustulerat. Praeterea vero in *disciplina publica* gentium multum erratur, quum vis *sacrae traditionis*, vbi admittitur, *verbique diuini* pia mente percepti, paedagogica, pro sola *Institutione* quâdam, dogmatibus propaganda, scientifica, et historica, mere intellectuali et ad summum ceremoniali habetur. Plurimi *religionis* aduersarii in iuuentute, propter mechanicam illam et methodicam et intellectualem et ceremonialem institutionem, qua res diuinae ipsae, per se immortales, rubiginem trahunt, quae sola auctoritate, non ab amicitia obtrudebatur, nauseâ correpti, vna cum tota illa faece theologica, ipsum aurum fidei religiosae latens, absconditum et neglectum, vt ipse *Lessingius* de se quodammodo fatebatur, abiecerunt. Quo in pruritu vim diuinam, *religionis paedagogicam* non ad intelligentiam tantum acuendam, sed ad animum penetrandum aptam, tanquam meram *doctrinam* intellectualem, tum *scientificam*, tum *philosophicam*, tum *positiuam* tractandi, Doctores Germaniae inprimis omnem modum excesserunt, neque eam solum ob causam, quod summum *principium Protestantismi* in *scientia* et *libera* inquisitione sceptica (*im Forschen*) sitam esse arbitrarentur, sed etiam, quod peculiari *indole gentis Germanicae* scholasticâ ducerentur, ad nauseam Pedantismo Academico infectâ, quae nimirum vitam et mortem, statum belli ac pacem, amicitiam domesticam, patriaeque amorem, *via* ac methodo tractare, et cunctas res ad humanitatem pertinentes; si ab oraculis diuinis, mundoque dei voluntate ornato, vsque ad ornatum muliebrem et rem culinariam descenderis; in *scientiam* et *doctrinam* aliquam systematicam *Graeci nominis* cogere non desinit. Ita factum est, vt tota fere *Educatio* apud nos, tam *puerilis*, quam *popularis* vniuersa, in exercitio, optime cetreroquin ordinato, ingenii et artium, poneretur, et ad *doctrinam* quandam, *docte docendam*, quum historicam, tum quasi philosophicam, reuera in *infinitum*, abiret. Varro *Catone*, siue de *liberis educandis* (fragm. Varr. ed. Bip. p. 319.), ait: „*Educit* obstetrix, *educat* nutrix, *instituit* paedagogus, *docet* magister.“ Verum inter *Germanos*, in immensa spatia Cognitionis exspatiantes, pauci reperiuntur, satis a *Pedantismi* scientifici cancellis soluti, vt cum ingenioso Philologo, Friderico Augusto Wolfio (in consiliis eius scholasticis post mortem editis) sentiant, *artem paedagogicam*, a *scientia didactica*, *methodologica*, et *arte* docendi toto coelo *differre*. Hinc illa tria *grauissima vitia institutionis puerilis*, scholasticae, apud nos, in reliquis haud mediocriter vigentis, 1) *forma nimium generalis systematica* per notiones *docendi*, quae in locum *verae paedagogiae*, *assuefaciendo*, *instituendo* *exercendo* *erudientis*, *docta* vbique *magisteria* suffecit. 2) *Immensa moles* rerum omnis generis, iuuenili menti *obiectarum*, quam Wolfius l. c. etiam in *ipsis* grammaticis rebus *minuendam* esse censet, licet haec moles in *minutiores disciplinarum* circulos et titulos, sub *vano praetextu* vel *elegantioris*, *encyclopaedicae*, ex *Schilleri* sententia *aestheticae*, vel etiam ipsius

profundioris cognitionis, systematice digeratur, et in *horarum curricula*, intellectum iuuenilem lacerantia, per *tabulas*, di boni, doctas et laboriosas distribuatur, 3) *annumeratio religionis Christianae* in *grege singularum disciplinarum*, ab educandis hominibus cognoscendarum, ita vt *vis* Euangelica siue per *doctrinam theologico-dogmaticam* (*Katechismusunterricht*), siue per mere *historicam*, saepe adeo plane *scepticam traditionem*, a *teneris* vnguiculis exstinguatur. Multo praeclarius profecto cum consilio Christi salutifero, nobisque omnibus ageretur: si haec *scientia paedagogica* in scholis *publicis*, sicuti a multis optatur, e patria potestate dei christiani *emancipatione* emissa, genioque seculi *ciuili* penitus tradita, doctae sapientiae suae manus ab omni re Christiana promouenda penitus abstineret; quam si in more suo pergeret, *Institutioni vere Christianae oua* sua inania, aut philanthropico-cosmopolitica aut *patriotica*, ventis peruia (*Windeier*) supponendi. Cuius *triplicis* calamitatis vnus atque communis fons est illa Indo-Germanica, et, si vis, Aegyptiaca, hominum et ciuium et ingeniorum secundum, vitae genus et officia in omne quasi aeuum, et per omnes humanae societatis aetates continuata diuisio (*das barbarische Kastenwesen*) a *solo puro pneumate* verae *Christianae religionis aliena*, a cuius habitu autem pestifero vix Graeca, a Schilleris in coelos sublata illa aesthetica *humanitas*, multo minus *Roma* vetus ac noua, omnium minime vero populi, qui in *theatro nouae historiae* apparuerunt, sese defendere vnquam valuerunt. Haec *consuetudo*, vt *Varronianis* vtamur verbis, *male importata*, videtur esse *apud nos Germanos inexstinguibilis*; quod quidem pro dolor ex eo iam ipso sine difficili *coniectura diuinationis* videtur colligendum esse, quod *doctorum virorum* germanicorum agmen Academicum, magna pro parte eo consilio tantum contra Napoleonem educta militauerit, vt cuncta *doctae mediocritatis palladia* ex. gr. thesaurum *variarum* lectionum ex *Florentino* Codice hauriendarum, codices sacros manu scriptos aliasque lautitias similis naturae, quas vel didicissent, vel adhuc discere cuperent, in hoc mundi incendio seruarent et saluarent. Huc pertinet maxime illa *Theologicae eruditionis Academicae* ab ipsa *Religione Christiana facta* solemnis separatio, a *pietistis* aequo modo atque a *philosophis* probata. Breui, his omnibus, in septentrione Germaniae potissimum locum habentibus, exigua profecto est spes, si qua Sacrorum Christianorum emendatio nouissima vnquam speratur, eam ex gente Indo-germanica, septentrionali, doctissima, esse prodituram, priscis rebus Academicis tanquam glebae adscripta. Hoc quidem scire omnes arbitramur, sine magno ingenii dispendio, esse in ciuitate viros eruditos, qui vitam et mortem curent, alios qui rerum dominia cautelis custodiant, alios, qui sensum pietatis excitare studeant, denique alios, qui de omnibus reliquis rebus loquantur, sophistae et philosophi. Scimus etiam hos viros, per vitae genus, quod potissimum elegerunt, exercitos, non sine vtilitatis fructu scholas aperire posse. Neque tamen haec *lignariorum fabrilis diuisio*, quam iam Lichtenbergius noster risit, (*Apflöken der Wissenschaften*) tanti momenti est, vt, quod factum esse meminimus, Americae gentibus, de rebus Academicis consulentibus, exemplo proponeretur. In republica per *constitutionem* bene ordinata, nulla ciuilia et religiosa munera, quasi priuilegia Ordinum tribuuntur. Quo summam administrationem, et consultationem proprius versantur, eo magis sub oculos eorum cadit, nihil esse absurdius, quam illa *quatuor facultatum*, *om-*

nem veritatem et *existentiam rerum* in *quatuor loca* et partes secantium diuisio barbara, quae ex Indo-Germaniae incunabulis (*dem Kastenwesen*) medioque aeuo ex re Scholastica monachorum prodiit. Omni vitae humanae, magnum; *viuae* tamen *religioni* eiusque efficaciae summum detrimentum attulit illa disciplinarum *ἀρτοποιητικῶν* scholastica et Academica distributio. Ex hac enim nata est hominum consuetudo, nunc paene inexstinguibilis, res *Ecclesiae*, tanquam *causas*, mere *literarias*, ad summum ceremoniales, *banausas* et operarias Theologorum, a rebus vitae humanae reliquis, ipsâque *veritate conscientiae* humanae penitus secludere. Nemo istorum vel doctissimorum Eruditorum, ab Academiis sensim, hoc peruerso modo, non ad humanitatem, sed ad *ἀρτολατρειαν*, officii cancellis circumscriptam (*Brodstudien*) informatorum, vnquam voluit videre, cunctam illam non satis celebrandam praestantiam Romanorum et Graecorum, quam *classicam* h. e. *exemplarem* vocant, in literis omnibus et artibus, ex eo ipsissimo prodiisse, quod, apud illas gentes; licet quaedam etiam ingenia in peculiari quodam studiorum genere saepe vel maxime excellerent; tamen neque in vniuersa vita ciuili, neque in mentibus discentium, ipsisque scriptorum docentium ingeniis, illa *encyclopaedica*, mechanica quasi et fabrilis *dissectio* disciplinarum locum habuerit, quae apud nos cogitationes et cognitionem Eruditorum, tam Formalistarum quam Polyhistorum, dilacerat, vt animi hominum recentiorum propter hanc *simulatam profunditatem* peculiaris cognitionis, reapse mere formalem, rerumque *superficiem* legentem, *integrae humanitatis sensum*, officiis particularibus distractum, nequeant, ne *Schilleriani Aestheticismi* quidem ope, colligere. Vnusquisque igitur suis propriis ac peculiaribus Studiorum vorticibus in flumine literarum ablatus, raro cum memoriae exercitio iudicii vim coniungens; praeterea, pro re nata, vni *octo partium potentiorum* in regno veritatis, in statu ciuili et politico et in literis litigantium inseruiendum esse ratus; denique *ἀκμην* Paedagogiae Euangelicae, prae farragine rixarum *ecclesiasticarum* vilissimarum, non *percipiens*, sed inter mera placita Theologorum Dogmatica referendam; in *Regimine* autem summo, vnico *Ecclesiae Christianae*; cuius tamen fundamentum vere historicum atque *visibile* extra omne dubium supra posuimus; nihil praeter *factiones* Philosophiae Scholasticae, Hierarchiae et Caesareopapatus protestantici, pro Confessionum varietate, quaerendas esse arbitratus; . . . . solam illam vniuersae vitae *diuinam magistram* spernit, quae scilicet, plane sublatâ iam pridem *particulari cultura* nationum, genus hominum ad *veram humanitatem* in vniuersum *cum diuinitate* coniunctam perducere possit. Hanc enim tanquam vocem lamentabilem in deserto clamantem, vel plane non audit, vel certe tanquam *praeceptricem*, inter ceteras, cum sociali vita nihil commune habentem, modo ad sensum rerum aeternarum, raro excitatum, interdum in memoriam reuocandum, aptam, e longinquo miratus veneratur. Quodlibet ergo fragmentum Ecclesiae Schismaticae, nomen Ecclesiae *totius auctoritatemque regiam Christi*, suo proprio ritu ac more, vsurpat, dum intra ipsissima huius *Ecclesiae* sic *dictae* muros, *tot sententiae* sint, *quot capita*. Quocirca sane iam videri possit; commune illud priscum *Ecclesiae Christianae* vinculum, quod optima verbi significatione semper *catholicum* erat appellatum, inter gentes, penitus infractum esse et *ruptum*, ita vt in hoc toto *ecclesiastico labyrintho* tenebroso et *inextricabili*, qui a Christo *nomen* habet, *generaliter histori-*

cum; neque per *dogmatum*, siue vitae *praeceptorum* docendorum; vnitatem et constantiam; neque per mores, pneumati Christi haud plane repugnantes; neque per sensorum piorum viuam communitatem; neque per sacramentorum, gratiam diuinam spondentium, solemnem administrationem et collationem; neque per institutorum socialium cultusque externi ceremonialis essentialem similitudinem: vsquam *aureum illud filum* amplius perspici et agnosci queat, quo, si qua est, vt certe olim credebatur *amoris coelestis manus*, turbam mortalium, vocem religionis e longinquo audientium, regat atque deducat. Itaque omnis, quae inter gentes Christianas *opinionum religiosarum* respectu, intercedit necessitudo est mere *polemica*, et in minutissimis rebus rixosa, vbi nihil ad salutem immortalem humani generis, nihil ad aeternum caritatis vinculum cum patre mundi refertur, cuncta ad *iura singulorum*, in ciuili societate opinionibus religiosis annexa, *custodienda*, recuperanda, coërcenda et per docte h. e. insipienter, scriptos *fidei* articulos stabilienda pertinent. Iam omnes, iique ipsi, qui *Indifferentismi religiosi culturaeque* artificiosae velo, interiora societatis humanae detrimenta tegere solent, satis tamen in praesenti temporis articulo sentiunt, in hoc *Ecclesiae* vniuersae *Christianae*, populos moratiores vix leuiter adhuc iungentis, *statu*, post *decursam* illam *medii aeui* fatalem periodum, per saecula iam vacillante, ipsum omnis *veritatis solum*, in quo cuncta sublimiora reipublicae humanae instituta radices egerunt, continuo tremere. Nullam in tali *polemico* statu ecclesiastico continuando salutem fore rati, *pacem vere religiosam* deposcunt, non inter peruersas et male salsas, rixosas Theologorum sententias stabiliendam, sed in hominum, de educatione paterna dei in fatis mundi plane desperantium, animis restaurandam. Omnes non ignorare possunt, *tempus* aut propediem *instare* aut iam *venisse*, quo *vniuersa ac tota Ecclesia Christiana*, intra *triginta* vel *quadraginta* annos post C. n. subitaneo pneumatis diuini afflatu nata, et solemniter instituta; non solum, vt saepe in Basilica St. Petri factum, *anni Iubilaei canat carmina*, sed quod maius est, omni genti Christianae annuntiet, se tandem aliquando *diuina gratia iuuante*, pericula grauissima illa feliciter superasse, quae *interiectus* seculorum a *fine medii aeui* vsque ad *nouissimas* turbas ecclesiasticas *pertinentium*, non sine leuitatis et *impietatis* late serpentis *macula*, neque etiam sine *grauissima culpa hominum ipsorum Ecclesiasticorum* cuiusuis *confessionis* et *fidei*, hominum literatorum, virorumque ciuilium, vtramque rempublicam, tum religiosam tum ciuilem administrantium, excitauerat. Satis carminum secularium decantauimus de *libertate religiosa* recuperata; canamus tandem aliquando seculare carmen de *libertate veritatis Christianae* a vinculis *Gentilismi* politicis! Tempus est, quo *pontifex Romanus* illam sextam, continuo muro clausam, in Basilicae S. Petri vestibulo portam, mystico crucis signo et aureis clauis distinctam, festiue aperiat, et benedictione solemni, quasi e coelo data, non *Vrbem*, sed *Orbem* iubeat intrare! Quis piorum tunc hominum non in gratias effusus flexis genibus procumberet, quod hoc tandem aliquando in loco, Pneuma a *Christo* profectum, mala hominum *Gentilium daimonia* deuicisse videretur? At vanis somniis ludimur, vana tantum specie recti decipimur. Vbinam gentium *deuicta* atque eiecta et prostrata reapse videmus, illa daimonia *Gentilismi?* *hic*; *superbiam rationis humanae* dico, ex *suis vnice principiis* pendentis; *illic*; *odium interioris*, *verae lucis*; hic *arbitrariam licentiam*;

illic priuilegiatam, natura et natiuitate imaginatam, potestatem ac *praestantiam*; *hic gentium discordiam* et bellicam ambitionem; illic *dictaturam mundi* pseudo-cosmopoliticam, omnia sub iugum Nihilismi mittentem, hic *pseudo-pneumaticum* in literis explicatum *Ingenium*, illic *Empirismum intellectualem*, glebae *prosaicae penitus adscriptum?* Immo istorum daimonum auctoritas vbique ita increuit, vt, si quando, quod tanquam verisimile et credibile nulla sane concipit futura imaginatio: supremus Romanae Ecclesiae Episcopus sincere vellet renunciare prisco suo phantasmati *totius*, illius a se, Christi vicario solo, repraesentatae, haereticos excludentis Ecclesiae: nemo in gremium totius Ecclesiae inuitatorum hominum, qui extra sunt, intrare vnquam amplius curaret. Vno ore a Pilatis nostris non Christum postularent liberandum, sed Barrabam. Vno ore; nimirum, quod negari nequit, Sacerdotii theologici siue banausa pertinaciâ, siue insipientiâ, siue incuriâ conciti; ad plenam *Emancipationem* prouocarent, e diuina illa, benigna, *patria* potestate paedagogica, per Christum nobis explicata; vt cuncta nimirum *instituta* publica, ad mentes et opiniones formandas apta, nunc *secundum* mere *formalem* quandam philosophiae ideam *humanitatis* dexterioris, perfectioris, moratioris, elegantioris, exigerentur; non secundum sententiam et exemplum Christi, propter caritatem erga patrem, humanam naturam diuinae in omni vita submittentis. Quisquis ergo ille sit, quem exspectamus, annus Iubilaeus, post duo turbarum secula, *medii aeui formas* impugnantium, et post hanc in quam vita nostra cadit *Epocham*, ex votis, *pacem* celebraturus: si fata *Ecclesiae* non, vt dei gratia, hactenus contingere solebat, in gloriam diuinam; sed a solis *hominibus seculi*, suffragiorum quasi numero definirentur; vix *bonis* is videtur appropinquare auspiciis. Manifesto hoc debemus stupendae hominum scientiae, cum pietatis contemtu operanti, nunc temporis, cognitionique rerum non satis digestarum et concoctarum, ingeniique culturae, a Graecis ad nos translatae. Igitur loco *trium* illarum *sororum coelestium*, quae Florentinum vatem in itinere suo tenebroso per inferos diuina ope, gratia, clementia, sapientia et caritate adiuuerunt; quas Literati nostri *anti-pneumatici* pro *mysticis* et *fanaticis* Sybillis habent; *Tres sorores* terrestres, sobriâ ratione, vitam humanam moratam et socialem actutum regunt, sed Parcarum instar, *atris* filis mortales inexorabili ordine coërcentes, *grammatica*, *mathematico-physica* et *aesthetico-politica disciplina*. Ad quem coelorum, ad quam vitam immortalemque salutem hae artes banausae nos sint ducturae, id quidem *θεῶν ἐν γούνασι κεῖται*.

„Sed tamen, ne nos totos aegritudini dedamus, sumpsimus nobis (exemplo M. Tullii ad Attic. IX. 4) quasdam tanquam *θέσεις*, quae et *theologico-politicae* sunt, et temporum horum, vt et abducamus animum, in hoc hactenus visibili statu Ecclesiae, ab querelis, et in eo *ipso*, *de quo* vbique nostris diebus agitur, quum consultando, tum vtramque in partem disserendo et deliberando exerceamur.“ Eae sunt huiusmodi:

Scripsit haec, quae praecedunt, Vir ingenio doctrina et virtute eximius, collega desideratissimus, b. **CHRISTIANUS AUGUSTUS HENRICUS CLODIUS**, iam moribundus fere, quamquam mortem prope instantem animo vix sibi praesagiens. Ita factum est, ut quem ad celebrandam Ernestii memoriam composuerat libellum in sui simul recordationem nobis relinqueret. Hoc igitur opus posthumum, cui quo minus supremam manum imponeret, auctor tristi fato impeditus est, tale quale accepimus, amicis et collegis defuncti pio animo tradimus, eoque edendo ad eandem solemnitatem, cui scriptionem suam dicaverat ipse auctor, humanissime invitamus. Etenim d. X. Septembris h. IX., in auditorio iuridico, Vir Clarissimus Fridericus Carolus Biedermannus, Philos. Dr. AA. LL. Mag., in hac Universitate nostra philosophiam privatim docens, orationem Ernestiae memoriae sacram habebit. Cuius orationis audiendi causa ut **RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICUS, PRINCIPES CELSISSIMI, PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, COMMILITONES** denique **ORNATISSIMI** benevole adesse velint, ea, qua decet, observantia rogamus.

P. P. in Universitate Lipsiensi D. XIV. p. Fest. Trinit. MDCCCXXXVI.